



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis  
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis  
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum  
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

**Herlet, Johann Georg**

**Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.**

Caput II. De secundo Novitiorum munere & officio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37853**

tis exprimatur; Homo enim *Apostata* & *vir inutilis* graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. *Proverb. 6.* Et annuens oculis fabricat iniqua. *Eccli. 27.* Verbo: tot observandæ sunt inter loquendum conditiones, Regulæ & circumstantiæ, ut merito dixerit S. *Jacobus c. 1.* *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Et *Alphonsus Rodericus part. 2. De Exercit. Perfect. tract. c. 8. n. 10.* miraculi loco habendum esse censeat, si quis in loquendo non impringat. Propter quod Scriptura & SS. Patres *silentium & taciturnitatem* tantis encomiis extollunt, tanquam securissimum asyllum & fortissimum propugnaculum contra universa lingua mala & incommoda; sine quo homo innumeris se exponit periculis: *ubi enim non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur;* inquit *Albertus Magnus lib. de Virtut. c. 31.* *quia sicut urbs patens, & absq. murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Proverb. 25.*

## CAPUT II.

### De secundo Novitiorum munere & officio.

125. **E**xprimit & describit hoc Propheta *Regius Psalm. 33.* & *Psalm. 36.* duobus hinc verbis: *fac bonum.* Et *Isaias c. 1.* *Discite bene facere.* Pluribus verò S. *Paulus Rom. 6.* *Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes;* &  
mem-

*membra vestra arma justitia. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitia in sanctificationem. Et Ephes 4. Renovamini spiritu mentis vestrae; & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctificatione. Item Christus Joann. 15. Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum asseratis. Denique S. Petrus Epist. 2. c. 1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Requirit ergo secundum hoc Novitiorum munus ab eis, ut reliquum vitæ, quod superest, cum omnibus viribus ac potentiis animæ ac corporis totum servitio Dei consecrent & impendant; perfectumque ei famularum exhibere satagant per opera vocationis suæ ordinaria, & quotidiana exercitia; ita quidem ut hæc obeant cum eâ saltem perfectione, quæ in Regulis & Statutis præscribitur; ac habitum seu promptitudinem & facilitatem prædicta opera sic perfectè obeundi acquirant; priusquam ex Novitiatu ad professionem, & ad gradum seu statum *proficientium* transeant. Secundum enim hæc opera vocationis suæ ordinaria judicabuntur omnes Religiosi; ut referat unusquisque, pro ut illa gessit & perfecit, sive præmium, sive poenam. Quoniam verò prolixum nimis foret, omnia & singula opera quotidiana Religiosi Status pertractare; solum hic aliqua, quæ Deum & proximum concernunt, ac tam Novitiis quam Professis sunt communia & ordinaria, breviter perstringemus.*

§. I.

## De Oratione.

126. **A**C quidem quàm frequens & familiaris Religioso debeat esse *Oratio*, declarat illius tùm utilitas, tùm necessitas. Est autem triplex potissimum *Orationis* utilitas: prima consistit in eo, quod sit medium impetrandi à Deo omnia beneficia corporalia & spiritualia, quatenus ad vitæ æternæ consecutionem nobis conducunt, dicit enim Christus Dei filius *Matth. 18.* *Si duo ex vobis consenserint super terram; de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Et *Luc. 11.* *Petite, & dabitur vobis; querite, & invenientis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit.* Item *Joann. 13.* *Quodcumq; petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. Usq; modò non petiistis quidquam in Nomine meo: petite, & accipietis.* Quibus conformiter *S. Jacobus Apostolus* in *Canonica sua* nos monet c. 1. dicens: *Si quis vestrùm indiget Sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Item c. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justî assidua.* Scilicet unum indubitanter è duobus sperare possumus; quoniam aut dabit Deus, quod petimus per orationem, aut quod noverit nobis esse utilius; ut inquit *S. Bernardus. lib. Meditat. c. 6.*

127. Secunda *Orationis utilitas* est, quod per eam

eam Animus abstrahatur à creaturis, & ad Deum bonorum omnium authorem ac datorem convertatur, ei que adhærere consuescat. *Ipsa Orationis intentio cor nostrum serenat & purgat; ut inquit S. Augustinus de Serm. Dom. in monte. c. 3. Capaciùsq; efficit ad excipiendâ Divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare lucem suam nobis, non visibilem, sed intelligibilem & spiritalem: sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamus in alia. Fit ergò in oratione conversio cordis ad Deum. Propter quod Orationem aliqui definiunt, quod sit ascensus & elevatio mentis ad Deum; per quam vel bona petimus, vel mala deprecamur. Neque enim Oratio solum respicit rem, quam vult impetrare; sed simul orantis animum convertit & dirigit ad Deum, cui honorem & cultum defert; qui est actus virtutis Religionis, quæ nos Deo subjicientes; summamq; nostram indigentiam profitentes, Ipsum verò omnium bonorum principium & authorem contestantes, petimus ea, quæ nobis vel aliis necessaria, aut utilia sunt; pro ut communiter loquuntur & docent Ascetici.*

128. Tertia utilitas Orationis, maximè vocalis, & cum externâ corporis mortificatione v.g. genuflexione, jejunio, vigiliis &c. conjuncta est, quod sit meritoria vitæ æternæ, & satisfactoria pro pœnis temporalibus. Numeratur enim Oratio à Raphaelè Archangelo inter bona opera. *Tob. 12. dum ait: Bona est Oratio,*  
*cum*

*cum jejuniis & eleemosynis.* Tenet autem communis Theologorum sententia, quod omne opus bonum in Statu gratiæ, & ex charitate actuali erga Deum, ab homine viatore exercitum, sit impetratorium, meritum, & satisfactorium: propter quod communissima confessariorum in Ecclesiâ Catholicâ praxis obtinuit, ut pœnitentibus injungatur Oratio in satisfactionem pro peccatis suis.

129. *Necessitatem* Orationis ad vitam Religiosè instituendam, tentationes superandas, & in proposito persistendum, significat passim Scriptura; dum variis in locis ad orationem nos tanquàm ad clypeum confugere jubet. Nam *Matth.* 26. ait Christus: *Orate, ut non intretis in tentationem.* Et *Luc.* 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* S. Paulus 1. *Thessal.* 5. clamat, *sine intermissione orate.* Et *Philip.* 4. *In omni oratione, & obsecratione petitiones vestra innotescant apud Deum.* Item *Ephes.* 6. Postquàm dixisset, non esse nobis colluctationem adversus carnem tantum & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum; subdit tandem: *Propterea à armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Quæ sit autem hæc armatura Dei, explicat, dicens: *Per omnem orationem & observationem, orantes omni tempore in spiritu.* S. Petrus 1. *Epist.* c. 4. hortatur: *Vigilate in Orationibus &c.* ex quibus & similibus Scripturæ verbis Ecclesia Catholica colligit præceptum orandi, dum in Sacrificio Missæ Orationi Dominicæ

ca præmittit hæc verba: *Præceptis salutaribus moniti & Divinâ instructione formati, audemus dicere Pater Noster &c.* Causam & necessitatis hujus rationem tradunt Patres Tridentini in suo Catechismo de Oratione, dicentes: *tam multis indigemus bonis & commodis ad animum & corpus tuendum necessariis, ut ad precationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam & indigentia nostra interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus: nam cum nihil cuiq; debeat Deus; reliquum profectò est, ut quæ nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit, ad id, quod optaremus, consequendum.*

Adde, quod nec Christo Dei Filio Pater cælestis voluerit Bona aliqua dare, nisi petenti & oranti; prout Patres colligunt ex illo. *Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Propter quod in Evangelio reperimus, quod Christus frequentissimè oraverit. & in oratione pernoctaverit. *Luc. 6.* ut meritò proinde exclamet S. Ambrosius *lib. 5. comment. in Lucam. Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas amulari. Quid enim te pro salute tuâ facere oportet, quando pro te Christus in Oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri?*

130. Ut verò Oratio nostra sit efficax & impetratoria, quinque conditiones habeat, necesse est. Prima tenet se ex parte objecti, sive rei petitiæ, ut videlicet hæc bona sit, honesta, & justa,

justa, sivè talis, quæ Deo nos vel proximè vel remotè jungat; neutiquàm verò nos ab eo sejungat, aut causam separationis & disjunctionis afferat: nè dicatur nobis illud *Matth. 20. Nescitis, quid petatis. Et Jacob. 4. Petitis, & non accipitis; eo quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Notant autem Patres Tridentini in suo Catechismo, quod Bona quædam possimus à Deo petere *simpliciter, absolutè, & sine conditione;* quando videlicet in se talia sunt, ut illis abuti non valeamus; ejusmodi est Visio beatifica & fruitio Dei, remissio peccatorum, gratia Dei, Timor Domini, augmentum Fidei, Spei & Charitatis; gloria Divinæ propagatio, Peccatorum & infidelium conversio &c. Alia verò bona, tum externa corporis, uti sanitas, robur, integritas membrorum & sensuum, agilitas, dexteritas &c. tum interna animè, ut felicitas ingenii, memoriæ tenacitas, judicii maturitas, scientia &c. Item Bona fortunæ v. g. Possessiones agrorum, dignitas, & officium honoratum, favor & gratia Magnatum &c. quia frequentissime præbent materiam peccato; non sunt petenda simpliciter & absolutè, sed eâ solum conditione; *sic ad Dei gloriam & ad salutem nostram profutura sunt nobis.*

1; 1. Porro inter omnes Orationes, quas sancta frequentat Ecclesia, primatum obtinet *Oratio Dominica*; uti bene notavit Jodocus Clichtovæus. *Serm. 1. de Orat. Domin. primo* ob dignitatem Authoris; quia scilicet ab ipso

Dei

Dei filio composita fuit, sacroque ipsius ore deprompta, atque ideò Patri cœlesti gratissima existit. Undè Catechismus Tridentini Concilii eam nuncupat *Divinam formulam*, quæ omnes necessaria precatationis numeros continet. Secundò propter *succinctam brevitatem*; ratione cuius dicitur *facilius*, iteratur frequentius, & absque fastidio orantis persolvitur. Tertio propter universalitatem petitionum, quas continet: Omnia enim Bona, quæ à Deo licitè desiderari possunt, in septem illis petitionibus includuntur. Undè S. Augustinus *lib. ad Prob. de Orando Deo*, ait: *Si rectè & congruenter oramus, nihil aliud petere possumus, quàm quod in Oratione Dominica positum est. Si omnia Sanctorum precatationum verba discurras, quantum existimo, non invenes, quod ista Oratio Dominica non contineat.*

132. Secunda conditio tenet se ex parte *Orantis*, & est præparatio ante initium Orationis requisita; juxta illud *Ecclesi. 18. Ante orationem præpara animum tuam; Et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Consistit autem hæc præparatio potissimùm in tribus: primum est compunctio cordis sive contritio perfecta, & dolor de peccatis ex motivo charitatis erga Deum elicitus; si fortè unius aut plurium peccatorum conscientiam habuerimus. Dicit enim Scriptura *1. Joann. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; Et quidquid petierimus, accipiemus.* Alterum est, ut antecedenter animum nostrum maturè ab-

stra-

strahamus & avocemus à negotiis, laboribus & sermonibus prophanis, sive ludicris & jocularibus, sive seriis: Nam seria negotia, quorum tractatio magnam attentionem requirit, valde animum fatigant, infirmant, distrahunt, & dissipant: ludicra autem colloquia vigorem mentis debilitant & resolvunt, nec non intellectum variis & importunis imaginibus tanquam quibusdam præcedentium sermonum reliquiis adimplent, & inter orandum perturbant. Propter quod commune & tritum erat præscorum Patrum teste Cassiano Colat. 9. c. 2. effatum: *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus: ex præcedenti enim Statu mens atq; animus in supplicatione formantur.* Tertium est, ut antecedenter ad Orationem nos constituamus in præsentia Dei, per actum fidei supernaturalem nobis repræsentando Immensitatem Dei, in quo movemur, & sumus, magis quam piscis in profundissimo mari; Nec non infinitam Dei Majestatem, Angelorum innumerabili multitudine stipatam; qui non cessant clamare jugiter & sine fine, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Omnipotens, &c.* Talis enim ad Divinæ Majestatis præsentiam reflexio excitat in nobis timorem reverentialem, humilitatem, animi attentionem, & externam morum compositionem.

133. Tertia conditio est similiter ex parte Orantis, ipsa videlicet applicatio mentis, & attentio ad id, quod oramus: definitur enim  
Oratio

Oratio à Patribus Tridentini Concilii in suo Catechismo, *quod sit mentis ascensus ad Deum, & quædam cum Deo collocutio; Sive est petitio, quæ ad Deum effunditur; ut inquit S. Basiliius homil. in mart. Julittam.* Unde necessario requirit mentis applicationem attentionem, & ad Deum elevationem, juxta illud vulgatum: *Si cor non orat, in vanum lingua laborat.* Adeoq; qui orationem profert absque animi attentione, similis est populo illi, de quo conqueritur Deus *Isaia 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Propter quod S. Augustinus in Regulâ suâ hortatur: *Cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

134. Quarta conditio tenens se ex parte orantis est fiducia ad Deum, juxta illud monitum S. Apostoli Jacobi *c. 1. Postulet in fide, nihil hesitans: qui enim hesitat, similis est fluctuæ maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo estimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Consistit autem hæc fiducia in eo, ut certò ac firmiter nobis persuadeamus, Deum infallibiliter concessurum nobis, quæ petimus, si ea ad Nominis sui gloriam & nostram salutem fuerint. Quam spem & fiduciam firmam in nobis excitare, corroborare, & confirmare potest ac debet primò *Fidelitas Dei promittentis; quia juxta Apostolum 2. Timoth. 2. Ille fidelis permanet; negare se ipsum non potest.* Quod autem Deus nobis promiserit dare, quidquid ab eo petierimus, jam supra ostensum est ex

S

Evan.

Evangelio. Secundò eandem spem ac fiduciam in nobis confirmat *Bonitas* sivè *Benignitas Dei*, multis jam modis hæcenus in nobis declarata & manifestata, maximè in beneficio Redemptionis, de quo *Roman. 8.* dicitur: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et *Joann. 3.* *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Tertiò prædictam in orando fiduciam in nobis excitare & confirmare debet, quod ipsissimus Dei Filius sit noster apud Patrem cœlestem Advocatus, qui per exhibitionem meritorum suorum nobis impetrat, quod ritè petimus, non solùm intercedendo, sed etiam jus nostrum ad auxilia supernaturalia per passionem, sanguinem, & mortem nobis ab ipso acquisitum Patri cœlesti exponendo; quod propriè Advocati Officium est. Undè *1. Joann. 2.* dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum.* Et *Roman. 8.* *Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

135. Quinta conditio tenens se ex parte Orantis est *perseverantia* in Oratione; ut scilicet non statim recedamus præ pusillanimitate, quasi Deus nolit exaudire preces nostras; sed multo etiam tempore in petitione unius ejusdemque rei constantes perseveremus: *quoniam oportet semper orare,* ait Christus, & *non deficere.* *Luc. 118.* Undè cum parabolam ibidem adduxisset de Viduâ constanter & cum magnâ importunitate in-

instante coram Iudice, ut illam de aduersario vindicaret; ac tandem propter suam perseverantiam impetrante, quod volebat; subdit: *Audite, quid Iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte?* & *Luc. 11.* Postquam in parabolâ ostendisset, quomodò etiam homo homini, qui perseveraverit pulsans, mediâ nocte surgens tribuat, quod petit, propter constantiam ejus & perseverantiam in petendo; statim subjungit: *Et ego dico vobis: petite, & dabitur vobis: querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* S. Jacobus Apostolus etiam in suâ Canonicâ c. 5. ait: *Multum valet deprecatio Justæ assidua, jugis, constans, & perseverans; qualem scilicet ad Deum sine intermissione fundebant primi Christiani; de quibus dicitur Actor. 2. Erant perseverantes in Orationibus. Et c. 6. dicunt Apostoli: Nos orationi instantes erimus.*

§. 2.

*De Adoratione.*

136. **A**lterum virtutis Religionis exercitium hominibus Religiosis frequentissimum ac familiarissimum est *Adoratio*; quæ definitur: *Actus virtutis Religionis, quo per convenientem aliquem corporis gestum protestamur nostram subjectionem erga Deum, veluti omnium creaturarum Dominum, ipsiq; Divinum honorem tribuimus.* Est enim Adoratio propriè dicta cultus latriæ, soli Deo debitus, & exhibendus; jux-

§ 2

ta

De  
23  
Kerf

ca illud *Matth. 4. Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Unde cum S. Joannes vellet Angelum adorare, hic prohibuit, dicens: *Vide, ne feceris : conservus tuus sum. Deum adora: Apocal. 19.* Quando igitur in Scripturis dicitur, quod Sanctis Angelis vel hominibus Adoratio quoque fuerit exhibita; tunc nomen *Adorationis* sumitur improprie & latissime, quatenus cultum Dulix, vel etiam cultum politicum significat; sicut *Genes. 23.* dicitur: *Surrexit Abraham, & adoravit populum terra.*

137. Solet autem Adoratio proprie dicta includere in se duo: primum est *interna, animi reverentia, affectio, & submissio erga Deum*; sine qua exterior corporis gestus non tam Adoratio est dicendus, quam simulatio: debet siquidem Adoratio fieri in spiritu & veritate; juxta illud *Joann. 4. Veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus; & eos, qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Alterum est *externa submissionis & reverentiae internae testificatio, per gestum aliquem corporis ad hoc accommodatum significata.* Quia enim ex duplici natura compositi sumus, *spirituali scilicet & corporali*; hinc convenit, ut utriusque generis operationibus protestemur, nos omnia Deo debere; ut inquit S. Damascenus *lib. 4. de Fide c. 13.* Addit S. Augustinus *lib. de cura pro mortuis c. 5.* per externum corporis gestum in Adoratione magis excitari, foveri, & augeri in nobis *internum mentis affectum erga Deum.* E-  
jus

ius verba sunt: *Nescio, quo pacto, cum hi motus corporis non possint nisi motu animi precedente fieri, eisdem exterius visibiliter factis ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, precessit, quia facta sunt, crescit.*

138. Porro tres sunt externi corporis gestus, in Ecclesiâ Catholicâ usitatior, quibus in adorando Deo utimur. Primus est *genuflexio*, quâ juxta D. Thomam q. 84. a. 2. *nostram infirmitatem designamus, in comparatione ad Deum; ipsiusque excellentiam & supremam Majestatem profiteamur.* De quâ Adorationis specie sæpius fit mentio in Scriptura veteris & novi testamenti: nam *Danielis 6.* dicitur, quod *Propheta tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.* Rom. 14. Inducit S. Paulus Deum apud *Isaiam c. 45.* dicentem: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* Et ipse de se scribit *Ephes. 3.* *Flecto genua mea ad Patrem Dominum Nostri Jesu Christi:* De Christo verò ait. *Philip. 2.* *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in Nomine Jesu omne genu flectatur.* Secundus corporis gestus in Adoratione est *prostratio corporis in terram;* quâ juxta eundem S. Thomam supra *profitemur, nos ex nobis nihil esse.* Cujus etiam meminit S. Scriptura: Nam *Tobia 12.* dicitur, quod *Senior Tobias & Domestici ejus ceciderunt super terram in faciem suam: & prostrati per horas tres benedixerunt Deum.* *Gens. 17.* *Cum Deus vel potius Angelus loco Dei appareret Abrahamo Patriarchæ,*

chæ, hic *cecidit pronus in faciem*. Quod etiam de se narrat Propheta Ezechiel. c. 43 & 44. Tertius gestus est *inclinatio corporis*. De quâ dicitur *Genes. 24. Inclinavit se homo, & adoravit Dominum*. Item *1. Paralip. 29. Inclinaverunt se, & adoraverunt Deum*.

139. Denique occasiones exercendi prædictos corporis gestus in adorando Deo plures quotidie occurrunt in Statu Religioso. Nam primo Deum sic adorare possumus, quodocumque sub officio Divino dicitur versus: *Gloria Patri &c.* aut in Psalmis vel hymnis fit mentio Adorationis Deo vero exhibendæ; veluti in Hymno Angelico: *Adoramus te*. In Symbolo Apostolorum: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur*. In Psalmis: *Venite Adoremus, & procidamus ante Deum &c.* *Adorent eum omnes Angeli ejus &c.*

Secundò Possumus exercere actum Adorationis, quotiescunque transimus ante Venerabile Sacramentum, vel imaginem Crucifixi. Item cum Sanctissimum Sacramentum in Missâ elevatur, & ostenditur; vel è tabernaculo extractum populo adorandum proponitur; ad infirmum defertur &c. Verbo: quotiescunque in Missali & Rituali præscribitur inclinatio corporis, genuflexio, prostratio &c. tunc nobis offertur occasio exercendi actum Adorationis; dummodò tamen externo corporis gestui semper internus animi affectus, submissio, & reverentia conjungatur.

3. De

## §. 3.

*De Devotione.*

140. TERTIUS virtutis Religionis actus in statu Religioso frequens & necessarius est *Devotio*; non tamen illa, quæ sumitur pro jucunditatis spiritualis sensu; utpotè quæ non est propriè ipsa devotio, sed effectus quidam devotionis, juxta Dei beneplacitum & inscrutabile judicium aliquibus concessus; aliis verò paria aut etiam majora merita habentibus subtractus; Neque etiam illa, quæ accipitur pro fervore spiritus; Nam & hæc promptitudo sive fervor non est actus Religionis distinctus & specialis; sed tantum est circumstantia & conditio actuum aliorum. Propria igitur *Devotio*, ut est specialis actus Religionis, definitur, quod sit *Oblatio nostrum in obsequium Dei*. Sive: *Devotio est actus voluntatis, quo quis totum se offert, tradit, dicat, & devovet cultui divino; ut promptè & alacriter exequatur omnia ad Dei servitium spectantia*. Dicitur enim *Devotio à Devovendo*; eò quod per illam nos & omnia nostra Deo ad obsequium & servitium ejus totaliter devoveamus & subjiciamus.

141. Necessitas hujus actus in homine Religioso patet indè, quod is sit basis, ac fundamentum aliorum actuum virtutis Religionis; quo solo sublato prætermisso longuet & tepet, imò planè friget cultus divinus. Quod enim aliqui tardius nonnunquam ad Dei servitium, ad

quod evocantur, accedant; sub laudis Divinae de-  
cantatione dormitent, oscitent, pandiculentur,  
voci ac firmis suis lateribus parcant, labia vix mo-  
veant, verba solum dimidiata proferant, aliena  
interim tractent, tædio afficiantur, ad Officii  
finem anhelent, sæpè ante illius finem recedant,  
aliquando etiam ob modicam difficultatem ali-  
quam aut levioris momenti negotium planè  
non accedant; communiter & ordinariè pro-  
venit exindè, quod per actum *Devotionis* an-  
tecedenter ac præviè totos se quoad omnes cor-  
poris & animæ potentias Deo ad obsequium &  
servitum illius non obtulerint; sed vel ex  
purâ consuetudine, vel ob respectum huma-  
num, & ex timore pœnarum, accesserint ad  
Officium Divinum.

142. Porro præter *necessitatem* movere nos  
debet ad *Devotionis* actum frequenter exer-  
cendum primò summa & infinita Excellentia,  
Perfectio, dignitas & Majestas Dei, propter  
quam infinitè dignus est, ab omnibus creaturis  
coli, adorari & laudari omni tempore ac sine  
fine, secundum omnes illarum potentias & vi-  
res. Quo motivo familiariter usus fuit Regius  
Propheta ad *Devotionem* in se & in aliis exci-  
tandam ac conservandam; ut *Psalms. 47. Mag-  
nus Dominus & laudabilis nimis Psalm. 65. Ju-  
bilate Deo omnis terra. Psalmum dicite Nomini  
ejus; date gloriam laudi ejus. Dicite Deo, quàm  
terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine  
virtutis tuae. Omnis terra adoret te, & psallat  
tibi; Psalmum dicat Nomini tuo. Psalm. 94. Ve-  
nite*

nite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis jubilemus ei: Quoniam Deus Magnus Dominus, & Rex Magnus &c. Quæ Prophetæ verba idcirco etiam Catholica Ecclesia præmittere solet Officio Divino, quatenus illius ministri per ea ad Devotionem concipiendam excitentur, & ad Laudes Deo alacriter decantandas amentur accendanturque. Secundo ad eandem Devotionem movere nos potest Exemplum Ecclesiæ triumphantis, in quâ perpetuus beatorum jubilus est: Alleluja! Salus & Gloria, & virtus Deo nostro. Laudem dicite Deo nostro omnes servi eius. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei. Apoc. 19. Et: Dignus es Domine, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Apoc. 5. Propter quod Ecclesia Militans in Hymno Officii de Dedicat. canit: Illa sedes cœlitum semper resultat laudibus Deumq; Trinum & unicum jugi canore prædicat: Illi canentes jungimur Alma Sionis amuli.

143. Demum occasio maximè opportuna exercendi Actum Devotionis, & se totum offerendi Deo ad Cultum & obsequium illius, est tempus illud, quod Officio Divino semper præmittitur, sive quo in stationibus juxta Ordinis Nostri Statuta & consuetudinem congregamur. In Stationibus, inquit citata Statuta Dist. 1. c. 4. §. 3. Ad devotè Deo psallendum Fratres mentem disponant; illud Sapientis adimplentes: ante orationem

S S tione

tionem prepara animam tuam. Quæ etiam causa est, quod eadem Statuta nos tantoperè urgeant, ut omnibus sepositis maturè ad Stationès accurramus. Nam *distinct. 1. c. 20. de cultura Novitiorum. §. 10.* dicunt: *Ad Officium Divinum diu nocturnè peragendum magno fervore Spiritus, & cum alacritate cordis tempestivè, & devotè accurrere consuecant.* Et eadem *distinctio. c. 8. §. 10.* *Pulsu inchoato, relictis omnibus, quæ in manibus sunt, in loco Stationum omnes sine morâ conveniant.* Item *§. 14. ibidem.* *Sepositis omnibus primo pulsu auspicato omnes conveniant.* Denique *distinct. 3. c. 1. §. 2.* inter culpandos numerantur, qui mox, ut signum datum fuerit, relictis omnibus, quæ in manibus sunt, cum maturâ festinatione ad locum Stationum non venerint. & ad Divina reverenter peragenda se non preparaverint.

Prætereâ sub ipso etiam Divino Officio frequenter occurrunt occasiones exercendi Actum Devotionis, quando scilicet in Psalmis & Hymnis offerunt se verba ac sententiæ ad hujusmodi affectum excitandum idoneæ & accommodatæ; v. g. cum in *Psalm. 102.* cantantur aut recitantur hæc verba: *Benedic Animæ meæ Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus.* Aut in *Psalm. 103.* *Cantabo Domino in vitâ meâ. Psalmam Deo meo, quamdiu sum &c.* Imò necessarium planè est, ut per decursum Divini Officii aliquoties actum Devotionis repetamus, ac quasi flabro reaccendamus & conservemus fervorem Spiritus maximè si Officium extiterit paulò longius,

gus, & aliæ incommoditates v. g. frigoris, calor  
 is &c. accefferint. Nisi enim identidem tunc  
 nos excitemus ad alacriter Deo cantandum, &  
 cultum ipsi juxta omnes corporis ac animi po-  
 tentius deferendum, fieri vix potest, ut non  
 tandem remissi ac tepidi, planeque tædiōsi effi-  
 ciamur.

§. 4.

*De laude Dei.*

144. **Q**uartus virtutis Religionis Actus, &  
 tam nocturnum quam diurnum Reli-  
 giosorum Exercitium est *Laus Dei*, quæ Stâtutis  
 ab Ecclesiâ temporibus alternatim, & sub certâ  
 formâ præscriptâ, in choro diu noctuque pub-  
 licè Deo persolvitur. Cujus originem si inqui-  
 ramus, videtur eam Ecclesiâ Militans in terris  
 acceruisse de cœlo, & ab Ecclesiâ ibidem Trium-  
 phante accepisse: Refert enim Isaias Propheta  
 c. 6. Quod Angeli collaudantes Deum *clamabant*  
*Alter ad Alterum, & dicebant: Sanctus, San-*  
*ctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum.* Et So-  
 crates *lib. 6. Histor. c. 8.* scribit de S. Ignatio Ec-  
 clesiæ Antiochenæ Episcopo, & Apostolorum  
 discipulo, quod is formam sivè methodum alter-  
 nis cantandi choris, quam prius viderat obser-  
 vari & practicari ab Angelis, introduxerit in  
 Ecclesiam. Ejus verba sunt: *Ignatius Antiochie,*  
*quæ est in Syria, tertius à Petro Apostolo Episcopus,*  
*qui cum Apostolis ipsis multum versatus est, vi-*  
*sionem vidit Angelorum, Sanctam Trinitatem*  
 Hym-

*Hymnis alternâ vice decantatis collaudantium;*  
 Et formam canendi in eâ visione expressam, Ec-  
 clesie Antiochene tradidit: Unde illa traditio ab  
 omnibus recepta est: Quod ultimum tamen in-  
 telligefactum non statim à morte Sancti Ignatii,  
 sed successu temporis & post aliquot sæcula:  
 Nam S. Augustinus *lib. 9. Confess. c. 7.* indicat,  
 D. Ambrosium extitisse primum, qui consuetu-  
 dinem cantandi alternantibus choris transtule-  
 rit in Occidentem. S. Basilius author illius fuit in  
 Cappadociâ; prout colligitur ex ejus *Epist. 69.*  
 Et S. Chrysostomus teste *Socrate loco cit.* Eundem  
 morem incepit Constantinopoli.

150. Neque omnibus in locis & Ecclesiis ea-  
 dem aut similis fuit canendi ratio & Norma.  
 Nam de S. Athanasio Alexandriae Episcopo te-  
 statur S. Augustinus *lib. 10. Confess. c. 33.* Quod  
 in Ecclesiâ Alexandrinâ fecerit sonare Lectorem  
 Psalmi tam modico vocis flexu, ut pronuntianti  
 vicinior esset, quàm canenti. In Oriente can-  
 tabatur suaviori vocum concentu, quàm in Æ-  
 gypto: quem proinde canendi modum cum in  
 Ecclesiam suam Mediolanensem introduxisset  
 D. Ambrosius; mirificè exinde commotus fuit  
 S. Augustinus; sicut ipse faterur *lib. 9. Confess. c. 6.*  
*Quantum flevi in Hymnis & Canticis*  
*tuis, suave sonantis Ecclesie vocibus commotus.*  
 Verum quia postea in hunc concentum tot ir-  
 reperant abusus, ut Musici Histrionibus simi-  
 liores essent, quàm Cantoribus Sacris; Romana  
 Ecclesia mediam secuta viam, nec Alexandri-  
 nam simplicitatem, nec Orientales compositos  
 nume-

numeros amplecti voluit ; sed utrumque ita temperavit , ut miram cum sua vitate conjunxerit gravitatem. Propter quod Cantus Romanus appellari solet *Cantus planus* ; à Gregorio Summo Pontifice XIII. ejus reformatore, Gregorianus ; Et à choro *choralis*.

151. Locus siquidem , in quo Divinæ laudes in Ecclesiis cantari solent , vulgò nunc *chorus* appellatur , sive *Odeum* , antiquitùs *Ambon* ; estque pars Ecclesiæ proxima sanctuario ; quæ muro olim circumsepta erat , aut clausa cancellis ; intra quos solus Clerus cantans consistebat , omnibus laicis indè exclusis . *Pars illa*, inquit Conciliùm Turonense II. *quæ à cancellis versus Altare dirigitur, choris tantùm psallentium pateat Clericorum*. Undè S. Ambrosius nè quidem ipsum Theodosium Imperatorem pati inibi voluit ; sed ad Navim & gremium Ecclesiæ, ubi laici stabant, eum ablegavit. Dicitur autem *Navis* Ecclesiæ Locus ille, qui ab ingressu Ecclesiæ extenditur usque ad chorum : Nam, uti rectè notat Carpassutius in *Notit. Ecclesiast.* ad Sæculum II. *Dissertat.* 10. Ecclesia apud primos Christianos tribus partibus constabat ; quarum prima dicebatur *Navis* sive *gremium* ; ubi populus ad Divinum Officiùm congregabatur. Secunda pars gradibus aliquot supra Navim assurgens vocabatur *Ambon*, *Suggestus*, *Chorus*, vel *Odeum* ; in quo Psalmi solemniter à Clero concinebantur, & ex quo Sacræ Scripturæ ad populum legebantur, sermones à Concionatoribus habebantur ; ac constitutiones sive edicta tum Episcoporum tum

tum imperatorum promulgabantur. Tertia pars dicebatur *Sanctuarium*; in quo Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragebatur.

152. Porrò definitur Laus Dei, quod sit *vocalis professio interioris Existimationis & Reverentia, quam de Deo habemus*. Sivè particulariùs loquendo de solâ illâ Laude Dei, quam Ecclesia militans Deo per ministros suos certis horis diu noctuque persolvit & exhibet, quamque communiter *Divinum Officium & Horas Canonicas* appellamus, describi ea potest, quod sit *cultus Dei vocalis, & publicus ex Hymnis, canticis, psalmis, & precibus, nec non Sacra Scriptura verbis, & SS. Patrum homiliis constans, & ordinatissime constitutus, horis diurnis & nocturnis ex Sacrorum Canonum Decreto à personis Ecclesiasticis nomine ipsius Ecclesie militantis, ad Exemplum & imitationem Ecclesie Triumphantis, Divinae Majestati persolvendus*. Dicitur primò *professio* sivè *cultus vocalis*; ad significandum, quod vox exterior debeat esse vel maximè accommodata ad testificandum interiorem devotionis reverentiæque affectum. Undè Concilium Oecumenicum VI. Canone 75. ait: *Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum adsunt, volumus, nè utantur inordinatis clamoribus, aut naturam ad clamorem urgeant, aliquidvè eorum, quod Ecclesiastica Sanctitati inconveniens & inconsuetum est, adsciscant*. Et St. Bernardus; *Epist. 312.* præscribit; ut *cantus plenus sit gravitate; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic suavis, ut non sit levis; sic mulceat aures, ut moveat corda. Sensusum litera non evacuet, sed facundet. Non enim*

enim est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate  
 cantûs abduci à sensuum utilitate; & plus sinu-  
 andis intendere vocibus, quàm insinuandis re-  
 bus. Requirit etiam Concilium Aquisgranen-  
 se Anno Domini 816. celebratum, ut verba in-  
 tegrè, planè, ac dilucidè cantentur; uti videre  
 est c. 137. Non autem præcipitentur, absor-  
 beantur, vel dimidientur; neque ut fluctus  
 fluctum, & procella procellam urget, ita festina-  
 tò versus versus consequenter & instando pro-  
 pellat; sed justa semper pausa intermediet, &  
 debita tum verborum, tum syllabarum men-  
 sura observetur. Contra quod cum nonnihil  
 peccatum fuisset in choro Religiosæ cujusdam  
 Familiæ; miraculosa visio ostensa Fratri cuidam  
 Novitio in Ecclesiâ pernoctanti, quæ eidem  
 inter alia insinuavit; *Dicas Guardiano, ut cu-  
 ret in choro Canonicas Horas lentius recitari:  
 quia nihil in Ecclesiâ post usum & cultum Sacra-  
 mentorum Deo gratius est recitatione Horarum  
 Canonicarum.* Pulchrè Statuta Canonica Or-  
 dinis Præmonstratensis *Dist. 1. c. 4. §. 9. Tam  
 in legendo quàm cantando omnes simul incipiant,  
 simul in medio versus respirent sive pausent, ac  
 simul finiant, sitq; pausa notabilis. Versum su-  
 um unus Chorus non incipiat, antequàm alius  
 absolvat suum; ac omnes Syllabæ perfectè,  
 eâdemque mensurâ sive æquè tractim profe-  
 rantur; nec ullæ absorbeantur. In cantu ubiq;  
 serventur eadem notæ in Ordine consueta;  
 ac ut omnis vitetur dissonantia, equali spatio  
 sive eâdem mensurâ, quantum fieri potest, sine  
 praci-*

*precipitantia absolvantur. Nec quisquam suo iudicio festinet, vel protrahat; sed ad se mutuo attendentes, reverenter & tractim Divina officia compleant.*

153. Dicitur secundo in definitione, quod Laus Dei sit professio interioris existimationis & reverentia erga Deum; quo significatur, quod cantui vel recitationi & pronuntiationi externae debeat conjungi interna mentis applicatio & attentio; juxta illud *Ephes. 6. Cantantes & Psallentes in cordibus vestris. Quia, si cor non orat, in vanum lingua laborat.* Et ut ait glossa in *c. Cantantes. Distinct. 92.*

*Non vox, sed votum; non musica choralis, sed cor,  
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.*

Propter quod S. Augustinus in Regulâ monet: *Psalmis & Hymnis cum oratis Deum; hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Et Concilium Oecumenicum VI. *Can. 75.* præcipit, ut *Ecclesiastici cum multâ attentione & compunctione Psalmodyas Deo, qui est occultorum inspector, offerant.* Innocentius item Papa III. in *c. Dolentes. 9. de Missarum celebratione, districtè & in virtute Obedientie mandat, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum studiosè celebrent pariter ac devotè.* S. Theodorus Studita *Serm. 99.* ait: *Decorè riteq; orandum est, & Psallendum; non obiter, & supinè, confuseq; ; sicut illi faciunt, qui labiis utcunq; videntur laudare Deum;*

Deum; cor autem eorum longè est à Deo. Denique Apostolus 1. Corinth. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente; Psallam spiritu, psallam & mente.* Psallere autem mente, est cantare sive psallere cum mentis attentione & applicatione. Solet verò triplex mentis attentio Statui ab Authoribus tam pro Oratione quàm pro Laude Dei, & Sacrificio. Prima dicitur *spiritualis*, dirigiturq; ad Deum, quem ut præsentem intuetur; & ad eum per affectus voluntatis tendit; vel certè interim, dum lingua exterius verba profert, mens interius piâ meditatione alicujus Mysterii v. g. Passionis Dominicæ, mortis, Resurrectionis &c. affectuosè occupatur. Addit Hugo Roth part. 1. *Via Regia. c. 6.* sufficere ad hanc attentionem, si quis inter cantandum vel precandum memoriâ recolat Beneficia Dei communia, aut specialia, Dei præcepta, Evangelica consilia, quatuor hominis Novissima, virtutes, gesta, doctrinam, aut miracula Sanctorum. Secunda dicitur *litteralis*, per quam verus verborum sensus percipitur, eique affectus accommodatur. Quæ attentio est omnium perfectissima; non tamen necessaria; imò multis est moraliter impossibilis, propter obscuritatem sensûs in verbis Psalmorum latentis. Adde, quod doctissimi etiam viri inter orandum & psallendum non semper curent sensum verborum; sed superficiali attentione contenti sint, partim quia major non requiritur; partim etiam nè continua mentis ad sensum cujuslibet versûs applicatio nocuum afferat capiti infirmo, vel

T aliis

lectione  
314

aliis jam occupationibus defatigato, Tertia attentio vocatur *superficialis & verbalis*; quia tantum curat verba; ut circa illa nullus committatur error, *malè pronuntiando illa, vel truncando, vel pracidendo, vel omittendo, vel non audiendo ab aliis pronuntiata*; ut inquit S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 3. Ut verò hæc species attentionis sufficiat, conjuncta esse debet cum animo & voluntate sive proposito colendi & laudandi Deum in principio orationis vel cantus, saltem confuso & virtuali, non solum præcedente, sed etiam comitante verborum pronuntiationem; ita ut prior voluntas laudandi Deum in principio orationis actualiter habita & concepta duret & perseveret adhuc virtualiter. Quæ *virtualis duratio* in hoc consistit, ut primò non sit revocata *directè* prior voluntas per intentionem contrariam, quâ quis ceptam attentionem & intentionem consultò & expressè abjicit, nolens deinceps verba proferre animo colendi Deum. Secundo, ut neque prior attentio & intentio sit interrupta & destructa *indirectè* per distractionem voluntariam; quæ tunc contingit, cum quis advertit, se animo distrahi ad alia, vel se exercere actionem attentioni repugnantem; & nihilominus voluntariè omittit ac negligit cogitationem distrahentem repellere; vel actionem intermittere non vult, sed eam prosequitur, quâ prævidet cum attentione fore impossibilem. Addunt Navarrus in *Enchirid. c. 25, n. 107*. Cajetanus & alii, voluntariè distractum non esse cum, qui advertit quidem, se cogitationibus suis esse

esse alibi v. g. in hortis Italiae, castris Hungariae &c. Non tamen advertit, se talia cogitando distractum esse, vel se cum hujusmodi cogitationibus attentum esse non posse.

154. Atque hæc tertia *attentio ad verba*, ut ritè proferantur, & ab aliis prolata audiantur, quamvis inferior & imperfectior sit duabus prioribus attentionibus; est tamen magis necessaria non solum Tyronibus, sed etiam adultioribus in choro existentibus, maxime ubi urgetur observatio cœremoniarum diversarum in Ritualibus libris præscriptarum. Qui enim intentioni *spirituali* aut *litterali* insistent, alligantes se ad meditationem alicujus mysterii, vel ad sensum verborum percipiendum; sæpè numero ita abripiuntur & involvuntur suis cogitationibus etiam piissimis, ut obliviscantur officii & muneris sui in choro tunc præstandi, pausas præscriptas negligant, ritus & cœremonias omittant, aliaque multa committant, per quæ adstantes perturbantur, & vel ad risum vel ad indignationem commoventur. Secus accidit in iis, qui conceptâ semel in principio cantûs, & dein continuatâ intentione laudandi Deum, attendunt expressè, ut verba ritè pronuntient, & ab aliis pronuntiata audiant, pausam in medio versus competentem observent; cum aliis incipiant & finiant; præscriptis temporibus se inclinent vel erigant; caput aperiant vel operiant &c. Unde rectè S. Bonaventura c. 19. *Spec.* consulit debilibus hanc attentionem ad verba, ad notas in cantu, ad cœremonias, ad decentiam totius ministerii

sterii in choro aut in sacrificio; ut omnia & singula integrè ac decenter sine festinatione aut detruncatione pronuntientur.

Ut verò necessaria sub Laude Dei *attentio* conservetur, & mens voluntariis distractionibus non evagetur, juvabit *primò*, si ante initium Divinæ Laudis per moram aliquam temporis seponamus negotia, sermones, & cogitationes, quæ caput defatigare solent; ac interim in quiete spirituali nos recolligentes, paulatim mentem transferamus & elevemus ad Deum. Docet enim experientia, quod animus seriis occupationibus v. g. studiis literarum fatigatus, difficulter & non nisi violenter possit se applicare orationi & rerum Divinarum contemplationi: Quæ violentia non solum obest & officit capiti; verum etiam ipsam attentionem efficit debilem, infirmam, ac minimè stabilem; nullum enim violentum est diuturnum.

Accedit quod rerum earum, quas immediatè aut cogitavimus, locuti sumus, aut gessimus, relictæ species ac phantasiæ in orationis decursu frequenter recurrant, ac millenis distractionibus materiam præbeant; prout quotidie experimur, quando de colloquio transimus ad Divinum Officium vesperi complendum. Propter quod censeo, ad hanc necessariam mentis ex-occupationem & recollectionem non sufficere modicum & breve illud tempus, quod Stationibus ordinariè impendimus; sed requiri moram aliquantulum prolixioram, v. g. spatium dimidii quadrantis; maximè tunc, quando caput &

cere-

cerebrum sentimus valdè debilitatum, aut animum seriis cogitationibus ita gravatum, vel in suis viribus dispersum, ut tam facilè alleviari & recolligi non possit.

155. Secundo juvabit ad conciliandam *animi attentionem*, si maturè ad Stationes accurramus, & sub iisdem vivaciter nobis repræsentemus præsentiam Divinæ ac tremendæ Majestatis; prout eam vidit Propheta Isaias *cap. 6.* sedentem super solium excelsum & elevatum, circumdatam & stipatam Sanctis Angelis, facies suas præ reverentiâ velantibus, & ad se invicem clamantibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum; plena est omnis terra gloria ejus.* Quod enim medium hoc sit efficax, patet ex ipsâ praxi Ecclesiæ; quæ ut in animo Sacerdotis celebrantis, populiq̄ue adstantis attentionem excitet & conservet sub Canone Missæ, præmittere solet eandem *in præfatione* visionem Prophetæ ostensam, his verbis: *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates; cæli cælorumq̄ virtutes ac beata Seraphim sociâ exultatione concelebrant, cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplicii confessione dicentes Sanctus &c.* Refert Climacus *Grad. 18.* se quâdam vice observâsse Religiosum quendam in Psalmis decantandis attentio-rem & recollectio-rem cæteris in choro constitutis, ex eoq̄ue interrogâsse causam tantæ suæ recollectionis: qui respondit: *Ego sub Divini Officii exordium soleo mentem & cogitationes meas colligere, eisq̄ ad me convocatis dicere: Venite, adoremus.*

remus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster.

Tertio juvabit ad concipiendam & fovendam attentionem, si inter cantandum nobis imaginemur, quod cum Angelicis Choris stemus simul ad laudandum Deum; ac quodammodo voces nostras cum illorum vocibus uniamus & jungamus. Hæc enim cogitatio efficiet in nobis, ut & fervorem Angelorum, puritatem intentionis, & charitatem erga Deum æmulari conemur.

Quarto proderit etiam, oculos subindè conijcere in piam aliquam imaginem, vel convertere illos ad Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ; in quo Christus, verus Deus & homo realiter & specialiter præfens existit, ac propterea asservatur, ut à nobis colatur, laudetur, & adoretur; sicut testatur Concilium Tridentinum sess. 13. de Eucharistia c. 5.

Quinto utile vel etiam necessarium erit, in decursu divinæ Laudis aliquoties renovare intentionem, fervorem, & devotionem sive oblationem potentiarum corporis & animæ ad Dei obsequium. Quod quidem tunc facillimè poterit fieri, quando sub divino Officio occurrunt versus & verba huic exercitio accommodata.

156. Sexto summoperè confert ad conservandam attentionem exterior Modestia, sensuum custodia, & morum compositio sub Laude Dei. Undè Regula S. Leufridi Abbatis erat: *facto signo pro Officio Divino, dimittas omnia, quæ erunt*

in

in manibus tuis. Exiens e cellâ fores sine strepitu  
 aperi, & claude. In cantu non frangas vocem;  
 aut famineis accentibus aliis te dulciter canere  
 ostentes; sed vocem tuam in fortitudine spiritus  
 exaltans, Deum tuum laudare satage. Non ad-  
 hareas humeris ad sedilia, neq; lacertis; sed stans  
 jugiter & viriliter genibus junctis & pedibus, nec  
 tibias super genus, neq; pedem super pedem om-  
 ninò reponas. Cùm sederis, pedem ultra fimbriam  
 non extendas. Non suspires ibi, non clames, non  
 legas, aut horas dicas altâ voce, dum tacent alii.  
 Non gemas aut pectus ibi percutias immoderatè;  
 quia hypocritarum hic mos est. Inclina & erige  
 te uniformiter cum aliis. In Choro non loquaris,  
 aut rideas. Non sis vagus & curiosus; sed semper  
 aspectus tui defixi maneant ad pedes tuos. Cùm  
 ibi errores contigerint; tu neminem corrigas, sed  
 quietus persevera. Cùm strepitus aut rumor ac-  
 ciderit, tu non eò statim oculos volve, sed semper  
 in eodem statu perseveres. Non sis inquietus &  
 strepitosus. Si nasi aut pectoris indiges purgatio-  
 ne; tam discretè hoc perage, nè aliis nauseam cre-  
 es. In auribus aut nanibus non figas digitos; neq;  
 ibi dentes purgaveris: hoc enim valde indecens  
 est. Si pulcibus aut pruritu alio stimulatus fue-  
 ris, si sufferre non potes, honestè & cautè tibi pro-  
 vide, nè advertant id alii; sine urgente necessi-  
 tate non recedas ab Officio. In fine defectus tuos  
 examina. Graviter S. Chrysoſtomus homil. 8.  
 in Iſaiâ c. 6. Sunt quidam inter hos, qui hic ad-  
 sunt, qui contemnentes Deum, ac spiritus eloquia  
 pro vulgaribus ac profanis ducentes, mores pra se

ferunt à spirituali statione alienos. Miser & infelix! oportebat te cum tremore & reverentiâ Angelicam Glorificationem resonare, cumq; fervore Confessionem reddere Conditori.

157. Cæterum quod attinet tempora Divinis Laudibus decantandis præstituta; numerabantur olim sequentia: Noctis medium, Matutinum, Hora diei prima, Tertia, Sexta, Nonna, Tempus vespertinum, & Completorium. Nam antiqui Patres separabant Officium Nocturnum à Laudibus; & has manè decantabant; illud verò circa noctis medium: quod propterea vigiliis nuncupabant: imitantes in hoc Psalmistam Reginum, qui de Nocturnis vigiliis ait *Psalm. 118. Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* De Laudibus verò Matutinis dicit *Psalm. 62. Deus Deus meus, ad te luce vigilo.* Reliquarum etiam minorum horarum meminerunt S. S. Clemens, Cyprianus, Cassianus, Hieronymus, Tertullianus, & alii apud Nebridium in *Antiquar. epist. 68.* quamvis non sub iisdem planè terminis, quibus nunt utitur Ecclesia Latina: Nam *Completorium*, quod diem & Officium complet, clauditque, Cassianus vocat *Horam Lucernalem*: S. Epiphanius *preces Lucernales*; S. Basilius *lib. de Spiritu Sancto c. 29. Lucernariam gratiarum actionem*; S. Chrysostomus in *Psalm. 118. & homil. 59. ad popul. Antioch. Lucernarium officium*; eò quod cantari tunc soleat, quando incipiente jam nocte inferuntur lumina, & accenduntur lucernæ. Aliam temporis rationem in Divinis Lau-

Lau-

Laudibus decantandis observatam reperio à Religiosis, qui *Acæmeta*, vel juxta Cedrenum *Acæmeti* sive *insomnes* vocantur; Et primitus instituti sunt Constantinopoli per Alexandrum Abbatem; translati verò postea Romam, & collocati per Gregorium Papam II. in Monasterio propè Basilicam Sancti Pauli; per Gregorium III. apud S. Stephanum, S. Laurentium, & Chryzogonum per Paulum I Papam in cœnobio S. Stephani Papæ & martyris à se noviter erecto; per Hadrianum I. in aliis pluribus cœnobiis; ac denique per Sergium Papam. II. in Monasterio à se extructo. Horum enim Acæmetarum propositum fuit, Sanctos Angelos pro posse æmulari in laudando Deum & juges ei diu noctuque Laudes offerre; ita ut nulla diei noctisque hora esset, in quâ non fratres aliqui mutatis inter se vicibus Divinæ Laudi vacarent. Propter quod *insomnes* dicti sunt; non quod singuli semper vigilarent; sed quia totum Monasterium sive congregatio nunquam planè dormiebat; sed semper aliqui inveniebantur, qui cœteris dormientibus, vel alia agentibus, alacriter Divinis Laudibus insistebant.

158. Verùm (heu) quàm longè nos hoc tempore defecimus & recessimus à Devotione ac fervore primorum nostrorum Patrum. maximè quoad vigiliis, & Synaxes sive Collectas nocturnas! utpote quæ in pluribus jam Ecclesiis Regularibus planè expirârunt; ita ut Devotus nunc habeatur ille, qui sedulo ad auroram surgit, & manè jam lucis orto sydere nocturnum

T 5

Offi.

Officium absolvit cum Laudibus. Quid quod multi à reliquis etiam per diem Horis Canonis se absentent & subducant sub prætextibus coloratis, & speciosis magis, quam veris, causantes negotiorum multitudinem, Ecclesie & Chori frigus ac humiditatem, virium suarum defectum, corporis infirmitatem, capitis dolorem, & sexcentas alias excusationes. Verum consulant tales *Eximii* propriam suam conscientiam; & in re tantâ, ad quam vi suæ professionis sunt obligati; Judicem vel Arbitrum non constituent Amorem proprium. Audiant etiam, quid S. Basilii moneat *serm. de Abdicat* dicens: *Non dicas, cum ad preces accedendum est, ventrem caputq; doleo; incertos hujus falsæ rei testes adducens, ut quietis gratiâ concors studium vigilantie dimittas.* S. Dorotheus *doctrinâ* 9. ægerrimè fert excusationes Dormitantii, qui ad vigiliis nocturnas non surgens, postea in capitulo somnolentiam suam purgare vult his & similibus verbis: *Febrem passus sum & vertiginem, nec potui ullo pacto surgere. Deficiebam, debilis eram, caput dolebam, stomachi tormina patiebar &c.* cum potius ignaviam fateri debuisset. Quapropter aliam ipse formulam, pro tali præscribit, videlicet ut dicat: *ignosce mihi Pater, quia ex ignaviâ, torpore, & negligentia hac nocte non exurrexi ad vigiliis.* Refert Surius in vitâ S. Gregorii Turonensis, quod, cum aliquando excitatus ad Nocturnas Collectas, nollet è strato surgere, quidam ignotus Canonarchus fortem ei alapam impegerit, dicens: *Tu, cum*  
*alios*

alios ad matutinum excitare deberes, dormitas  
ipsum! De alio quodam Monacho narrat idem  
Author in vitâ S. Gerardi Abbatis Cellensis,  
quod S. Venantius Episcopus jam vitâ defun-  
ctus, eum verbis & verberibus ad vigiliis no-  
cturnas compulerit, dicens: *impudentissime*  
*Monache, quid stertis? itanè debitum nocturni*  
*pensi exolvit?* Quod si D. Venantius Officium  
Canonarchi sivè Excitatoris & compulsoris ad-  
huc in terris gereret, quantum putas hoc tem-  
pore in excitandis Dormitantiis negotium ha-  
beret? aut quas gratias apud quosdam referret?  
utique minores, quàm prisci Monachi repende-  
runt suo Canonarcho & Excubitori; à quo cum  
per mallei lignei pulsum & vocem *Alleluja* ex-  
citarentur, intus in Cellâ suâ respondebant:  
*Benè Domine; charitas tua oblivioni non detur.*  
*Det tibi Dominus hujusce rei præmium;* ut refert  
S. Dorotheus *Doctrinâ* 11. Qui etiam addit, se  
Excubitores suos & Canonarchos sivè vigilia-  
rum præfectos (ita enim prisci Monachi voca-  
bant Excitatores suos ad Nocturnas vigiliis)  
non aliter coluisse & amâsse, quàm viros tales,  
à quibus salus sua æterna dependeret. Et meri-  
tò; est enim nocturnarum vigiliarum tempus  
aptissimum, ut in eo mens possit liberè & expe-  
ditè vacare lectioni, meditationi, Psalmodiæ,  
Orationi, compunctioni, contemplationi, &  
Dilectioni Dei; sicut ait S. Isaac Monachus *de*  
*contemptu mundi* Tom. 6. *Bibliothec. S. S. Pa-*  
*trum. Noli putare, ô homo, quod inter operatio-*  
*nes Monachorum sit alia sancta conversatio major*  
*vigi-*

vigi-

vigiliis nocturnis, quibus citissime perveniat, & volet, & exaltetur mens in dilectione Dei. De Regularibus sui temporis ait S. Chrysoſtomus homil. 56. ad popul. surgentes statim ex cubili, hilares & leti, chorumq; constituentes, in alacri conscientia consonantes omnes tanquam ex uno ore Hymnos Omnium Deo concinunt, eum venerantes. Interrogemus, quid ab Angelis differat hic Chorus super terram canentium, & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Et homil. 57. Noctes dies faciunt, in Gratiarum actionibus & Hymnodis degentes. Item homil. 59. Postquam gallus cantavit, statim veniens Prælatus, & pede solum simpliciter cedens, omnes excitat. Mox surgentes, stant Hymnos Cantantes multâ cum vocis consonantiâ. Cum Angelis cantant; nam & Angeli tunc canunt: Laudate Dominum de cælis. Et ibidem: Omnes statim cum reverentiâ somnum deponentes exurgunt, excitante eos Prælato, & consistunt sanctum Chorum constituentes, Sacros Hymnos decantant.

## S. 5.

## De charitativa conversatione.

159. DE hac dicitur Act. 4. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. Et in Regulâ S. Augustini. c. 2. Unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una & cor unum in Deo. Item c. 3. Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite. Ubi viget Charitativa conversatio; ibi cœnobia sunt para-

paradifus & cœlum ; incolæ verò inhabitantes  
 Religiofi funt quidam Angeli Dei ; quippè qui  
 converfatione cœlefti electâ nihil ab Angelis diffe-  
 runt : Nam ficut inter hos nulla eft inequalitas ;  
 fic & inter illos. Nemo fiquidem paupertati ex-  
 probrat. Nemo de divitiis gloriatur. Meum &  
 tuum, quod cuncta evertit, eliminatum eft. Om-  
 nia ibi communia, & menfa, & habitatio, & ve-  
 ftes. Et hoc quid mirum ? cum & illis anima una  
 eademq; fit. Omnes eâdem nobilitate nobiles, eâ-  
 dem fervitute fervi, eâdem deniq; libertate funt  
 liberi. Nempe cuncta ipforum tanquàm unâ eâ-  
 demq; liberâ menfurâq; æftimantur ; ut nulla in-  
 ter eos diverfitas aut inequalitas locum habeat ;  
 verùm omnia eodem ordine, convenientiâ, con-  
 cordiâ, jugiq; tranquillitate conftituta funt. Com-  
 mune efle exiftimatur, quod cuiq; tam trifte,  
 quàm jucundum acciderit ; ut inquit S. Chryfo-  
 ftomus lib. 3. adverf. vit. Monaft. vitup. cap. 10.  
 Quia fic vivunt in unum, ut unum hominem  
 faciant ; ut fit illis verè, ficut fcriptum eft, una  
 anima, & unum cor ; multa corpora, fed non mul-  
 ta corda ; ut ait S. Auguftinus in Pfalm. 132. Et  
 S. Bafilius in conftitut. Monaft. c. 19. Perfectifsi-  
 mam ego vitæ communionem illam appello, unde  
 diffenfo omnis, ac perturbatio omnis, contentio  
 omnis abeft & rixæ: contraq; univerfa communia,  
 animi, mentes, &c. Communis Deus, communis  
 pietatis mercatura, communis falus, communia  
 certamina, communes labores, communia præ-  
 mia, & certaminum exantlatorum corona.  
 Ubi multi unus ; & unus non folus, fed in pluri-  
 bus.

lect  
 ectione  
 214  
 44

bus. Huic vita instituto quid est tandem quod  
 equiparari possit? quid eo beatius dici? Quid  
 hac conjunctione, unitate, & necessitudine ap-  
 tius excogitari? quid mutuâ inter se morum, ani-  
 morumq; contemperatione gratiosius fingi? Ho-  
 mines ex diversis nationibus, ac Regionibus pro-  
 fectos, per exactam morum ac disciplinae similitu-  
 dinem adeo in unum veluti coaluisse, ut in plu-  
 ribus unus modò esse animus videatur. Vicis-  
 simq; plura corpora mentis unius instrumenta  
 cernantur. In his, qui infirmâ corporis valetu-  
 dine est; is complurium animos imbecillitatis sua  
 participes habet. Qui verò animo ager est, & affli-  
 gitur, eî complures praesto sunt, à quibus cure-  
 tur, à quibusq; assidue erigatur. Hi aequabili  
 jure inter se alii aliorum & famuli sunt, & domi-  
 ni; & invictâ libertate accuratissimam sibi in-  
 ter se serviunt servitutem. Hi Angelorum vi-  
 vendi ritum emulantur; nulla est inter Ange-  
 los lis, nulla contentio, nulla controversia, &c.  
 Econtrâ ubi non est charitativa conversatio;  
 ibi cœnobîa sunt infernus & gehenna; inhabi-  
 tantes verò cœnobitæ sunt Dæmones; ut in-  
 quit S. Hieronymus in *Regulâ*. Quia in talibus  
 locis regnat diabolica superbia; quâ frater fra-  
 trem despicit; & illi servire, vel cedere detre-  
 ctat. Regnat ibidem diabolica invidia; quâ  
 unus alteri sua naturæ talenta, scientiam, virtu-  
 tes promotionem, obedientias, & gratiam a-  
 pud Superiores invidet. Regnat affectus no-  
 cendi, vindictam sumendi; audiuntur murmura,  
 dissensiones, rixæ, convitia, detractiones, su-  
 lar.

furr  
 tate  
 nast  
 runt  
 quæ  
 liu  
 char  
 ver  
 nec  
 ma  
 conf  
 conf  
 hila  
 rari  
 Frac  
 die,  
 stus,  
 obtu  
 quip  
 irri  
 Disc  
 sis o  
 fam  
 bito  
 tern  
 null  
 niqu  
 stud  
 cina  
 mur  
 ti no  
 tare  
 praf

furrations, & similia contra justitiam & charitatem peccata. Propter quod vigilantiores Monasteriorum Antistites semper in hoc incubuerunt, ut fratres imprimis se ritè haberent in iis, quæ sunt in Ordine ad Deum, & ad debitum illius cultum pertinent: Deindè etiam ut iidem charitativè inter se agerent, & fraternè conversarentur. S. Basilius *serm. de Abdicat.* monet: *Cùm quid locuturus es; ea ex ore tuo prima semper verba profoliant, quibus & proximum confolesis, & charitatem erga illum tuam magis confirmes; idque adhibitâ quâdam festivâ oris hilaritate; ut qui tecum loquitur, per te exhilarari se sentiat.* Et *serm. i. de Institut. Monachor. Fracundie, aut memoria injuriarum, aut invidia, aut contentionis nullus prorsus sit neve gestus, neq; motus; non verbum, non oculorum acris obrutus, non vultus conformatio ulla, non aliud quippiam, ex quo eorum, quibuscum vivimus, irritari animus possit.* Item *Epist. ad Chilonem Discipul.* Dabis operam haud segnem, nè cui sis offendiculo eorum, quibuscum intercedit tibi familiaris congressus. Magis ipse in hoc incumbito, omnibus ut sis perquam graciosus, fraterni sodalitiî amator, sincerus, suaviloquus, nulli non insinuans animi tui modestiam. Denique *Epist. i. ad Gregorium Theolog.* Magno studio id comparandum habemus, scite ut sermocinari possimus; ut nec contentiosius percunctemur, nec affectantiùs respondeamus; ut differenti non obloquamur; nec interfari atq; interpellare gestiamus absurda ostentatione, fastumq; præferente: ut modum teneamus & sermocinandi

lectione  
214

nandi, ascultandi. Vocis porro intentio mediocritate temperanda est; ut nec exilior fallat aures, nec contentior odiosâ radat offensione. Expendendum prius, quid dicturus sis; atq; ita demum edendum & provulgandum est. In congressibus comiter appellare oportet, atq; in consuetudine suavem se præbere.

160. Ut verò conversatio nostra sit charitativa, requirit sequentes conditiones: prima est, ut verba non fiat dura & inhumana; sed placida, suavia, & amicabilia; juxta illud Coloss. 4. Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus; ut sciatis, quomodo vos oporteat uicuiq; respondere. Quomodo de Christo prædixit Propheta Isaias c. 42. Ecce puer meus, quem elegi: non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem ejus. Et de eo testatur S. Lucas c. 4. Mirabantur in verbis gratia, que procedebant de ore ipsius. Undè S. Bonaventura lib. de informat. Novit. part. 1. c. 32. Quàm benignus inter discipulos; quàm placidus in omnibus dictis suis; quàm mitis in responsis! Quod si forsitan proximus aut frater durius & acrius nos alloquatur; aut irâ aliâve passione præoccupatus, verbis contumeliosis & injuriosis dicteris nos afficiat; non debemus illi in eodem tono vel accentu respondere: sed dulcia ac placida verba cum omni mansuetudine sunt reponenda; quomodo iterum de Christo testatur S. Petrus 1. Epist. c. 2. dicens: Qui cum malediceretur, non maledicebat. Et S. Bonaventura supra: quàm patiens ad contumelias: Non enim studuit se vindicare

dicare verbo mordaci & amaro; sed blando & hu-  
 mili responso alterius malitiam sanare. Idem nos  
 docet S. Dorotheus Doctrinâ 15. Si quis aspe-  
 re nos affabatur, & increpabit; vel etiam ob-  
 jiciet ea, quæ nunquam fecerimus; nihilominus  
 submisse & humiliter respondeamus, veniam ab  
 illo petentes, tanquam si nos illi ita loquendi oc-  
 casionem dedissemus, et si eam minimè dederimus;  
 dicamusq;: ignosce frater, & ora pro me. Et S.  
 Augustinus in Regulâ c. 10. Vobis à verbis durio-  
 ribus parcite. S. Basilius etiam monet discipulum  
 suum Chilonem, ut sit omnibus perquam gra-  
 tiosus, suaviloquus, nulli non insinuans animi sui  
 modestiam. Ad Gregorium verò Theologum  
 ait Epist. 1. In congressibus comiter appellare o-  
 portet, atq; in consuetudine suavem se exhibere.  
 Nusquam acerbum se præbere convenit, etiamsi  
 objurgatione opus sit. Causam dat Scriptura  
 Proverb. 15. Responso mollis frangit iram; ser-  
 mo durus suscitatur furorem. Et Proverb. 16. Fa-  
 vus mellis composita verba; dulcedo animæ, sa-  
 nitas ossium. Item Eccl. 6. Verbum dulce multi-  
 plicat amicos, & mitigat inimicos. Et Eccl. 20.  
 Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.

162. Altera conditio est, ut proximo aut fra-  
 tri loquenti vel aliquid narranti non contradi-  
 camus; ( nisi forte scandalosa, & vel contra  
 Deum, vel contra proximum tendentia verba  
 proferret. ) Neque dicta illius improbemus; sed  
 potius eidem, quantum salvâ conscientia fieri  
 potest, in omnibus consentiamus; aut saltem,  
 quæ approbare non possumus, prudenter dissi-  
 mule-

mulemus, & silentio prætereamus. Ita enim monet Apostolus Philipp. 2. *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam.* Et Roman. 12. *Idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Item 2. Corinth. 13. *De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; Et Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Denique Ephes 4. *Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus, in vinculo pacis; unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocatinis vestre.* Eodem quoque pertinet, ut proximum loquentem non interpellemus, quasi ipse erraret, & nos melius rem sciremus. *Differenti non obloquamur; nec interfari atq; interpellare gestiamus absurda ostentatione, fastumq; præferente;* ait S. Basiliius suprâ Epist. 1. ad Gregorium Theolog. Nec refert, quod frater ille, qui loquitur falsum aliquid, aut incredibile, aut cum aliis circumstantiis, quàm factum sit, referat: in his enim & similibus non est contradicendum narranti; nisi silentium nostrum cedat in Dei injuriam, aut pusillorum scandalum, aut absentium infamationem, & damnum tale, quod nos impedire tenemur: sed propter amorem pacis & concordie toleranda patienter & dissimulanda est errantis vel imperitia, vel temeritas in loquendo, quamdiu nihil inde mali rationabiliter time-

rimetur Juxta Apostolum *1. Corinth. 13. Charitas patiens est, benigna est, charitas non irritatur, non cogitat malum, omnia suffert, omnia credit.* Sanè diuturna & quotidiana experientia docet, quod illi homines, qui Spiritum contradictionis habent, & libenter iis, quæ ab aliis proferuntur, contradicunt, ea impugnant, in dubium vocant, &c. intolerabiles sint in communitate: ac sæpè levissimis de causis rixas suscitent.

163. Tertia conditio ad charitativam conversationem requisita est, ut Fratres nostros magnificiamus apud nosmetipsos in animo, & hanc nostram de illis existimationem foris etiam verbis, opere, & signis demonstramus, tam in eorum absentia, quàm præsentia; ita quidem, ut de illis absentibus honorificè loquamur; præsentibus verò honore præveniamus; sicut monet Apostolus *Rom. 12. Charitate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes.* Et *Philipp. 2. In Humilitate Superiores sibi invicem arbitantes.* Nemo siquidem est tam barbarus & durus, qui non accendatur ad redemandum eum, à quo se videt æstimari & amari. *Vis laudari? lauda alium; vis amari? ama;* inquit S. Chrysostomus *homil. 13. ad populum.* Undè S. Basilus *serm. de Abdicat.* docet, nunquam in conversatione loquendum esse cum proximo & fratre etiam nobis inferiore taliter, ut ostendamus, nos ipsum parvi facere, aut contemnere. *Si cum inferiore te sermonem habes; aut interrogatus ab eo, aliquid respondes;*  
 U 2                      CAVE,

*cave, nè subspenso animo illi negligenter respondeas, eâ re videlicet, quod fratrem contempnas. Et serm. 2. de Institut. Monachor. vetat in conversatione & publico colloquio, alicui privatim loqui in aurem, aut per nutus ipsi significare aliquid: eò quod talis agendi modus præferat contemptum, aut exilern de aliis præsentibus existimationem, pariatque suspiciones, odia, &c. Ejus verba sunt: In aurem locutiones, & quæ per nutus fieri solent, significationes, hæc omnia à fratrum conventu longissimè submouentur. Nam quæ nutu fit significatio, ea fratri indicio est, malitiosum aliquem dolum in re obscure latere. Porrò ex istiusmodi rebus odia, suspicionesq; nascuntur.*

164. Quarta conditio est correctio & emendatio morum eorum, qui Fratribus nostris possunt displicere in nobis, & nos illis in conversatione graves seu difficiles & molestos reddere. Solet enim inurbanitas & rusticitas morum offendere illos, qui sunt honestiores & benè educati. Undè S. Augustinus in *Regulâ. c. 6. Nec affectetis vestibus placere, sed moribus. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendant aspectum. Et S. Basilus Epist. ad Chilonem Discipul. Dabit operam haud segnem, nè cui sis offendiculo eorum, quibuscum tibi intercedit familiaris congressus; magis incumbito, omnibus ut sis perquam gratiosus, fraterni sodalitiis amator sincerus, suauiloquus, nulli non insinuans animi tui modestiam. Atq; hinc primò, quia meritò omnibus prudentibus*

tibus displicet inepta quorundam consuetudo  
 jocandi, & alios mordacibus ac scommaticis ver-  
 bis pungendi, ad excitandum risum, vel ad o-  
 stentandam ingenii sui felicitatem in hujusmodi  
 acuminibus & disteriis aculeatis inveniendis;  
 Hi, quibus talis jocandi irridendiq̄ue mos est,  
 toto conatu incumbere debent, ut eum radici-  
 t̄us extirpent, & se in conversatione synceros,  
 apertos, innocuos, & omnibus gratiosos exhi-  
 beant. Solent enim in communitatibus & con-  
 gregationibus odibiles, invisī, & detestabiles  
 esse omnibus bonis illi, qui insulsis ejusmodi sa-  
 libus, & vexandi seu illudendi artibus sunt de-  
 diti; uti & illi, qui student amphibologicis & æ-  
 quivocis verbis; ita ut audientes in omni ferē  
 eorum dicto & sermone dubiū h̄erere debeant,  
 serianē sint & vera, quæ tales histriones lo-  
 quuntur, an verò tantūm jocentur. Quis enim  
 cum talibus libenter conversabitur & aget, quos  
 in omnibus ferē sermonibus suspectos habere  
 debet? *Non te delectet puerilis jocus*, ait S. Ba-  
 silius *in admonit. ad Filium Spirit.* *Nec in mo-  
 dum parvuli jocari velis: quia non convenit. Sa-  
 cra Scriptura hoc hominum genus vocat Illuso-  
 res, & Sophistas.* De quibus *Eccl. 37. Qui so-  
 phisticè loquitur, odibilis est.* Et *Proverb. 3. Ab-  
 ominatio Domini est omnis illusor.*

Secundò cavendum est, nè altiori voce loqua-  
 mur, quàm necesse sit; sed potiùs submissè in-  
 terrogemus, aut interroganti respondeamus;  
 sicut monet S. Basilius *serm. de Abdicat. Inter-  
 rogatus de re aliquâ, gravi ac submissâ voce re-*

U 3 spon-

*sponde. Et serm. 2. de institut. Monachor. Quoties de re inter se colloquium haberi conveniet, vocis modum ipsis necessitas ipsa definiet, ut scilicet cum eo, qui propinquior sit, pressius agatur: qui autem remotior, is altiore aliquantò voce appelletur. Illud autem, ut aliquis in dando consilio alicui hortatione vè de re aliquâ adhibendâ, majore a-  
 sperioreq; utatur vocis sono; hoc ut res contumeliosa è conventu prorsus amovetur. Item in Epist. 1. ad Gregorium Theologum. Magno studio id comparandum habemus, scite ut sermocinari possimus; ut nec contentiosius percunctemur; nec affectantius respondeamus. Vocis intentio mediocritate temperanda est; ut nec exilior fallat aures, nec contentior adiosâ radat offensione. Ipse verò S. Gregorius Theologus Orat. 14. ait, quod Monachorum fit vox composita & quietâ.*

Tertiò abstinendum est à loquacitate & dicacitate; ut non simus garruli, blaterones, & verbosi; sed rarò, parcè, & parùm loquamur; ita ut aliis etiam præsentibus spatium & occasionem tribuamus aliquid proponendi: solet enim garrulitas & verbositas aliquorum in congregatione valdè molesta & onerosa esse cæteris. Undè Scriptura monet Eccl. 5. *Sint pauci sermones tui.* Et Eccl. 32. *Loquere major natu; decet enim te primum verbum. Adolescens loquere in tuâ causâ vix. Audi tacens; & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius; & audi tacens simul & querens*  
 In

In medio Magnatorum non praesumas; & ubi sunt senes, non multum loquaris. Item Eccl. 20. Est odibilis, qui procax est ad loquendum. Job etiam amicos suos reprehendit ob nimiam suam loquacitatem, dicens: *Audivi frequenter talia. Nunquid habebunt finem verba ventosa? poteram & ego similia vestri loqui.* &c. c. 16.

Quarto non est effusè ridendum & cachinnandum: quia *fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Eccl. 21. S. Basilius in Regul. fus. interrogat. 17. ait: *Non mediocriter cavere ab iis debet, qui colenda pietati student, nè in risum videlicet prater modum effusi sint; quandoquidem non abesse intemperantiam significatis, qui profuso nimis petulantiq; risu tenetur; seseq; animi sui motus nequaquam sedatos, ejusq; mollitiem ac veluti laxitatem nequaquam ratione severà habere compressam declarat. Verùm modicè rictum diducere, eoq; modo animi sui diffusionem leviter significare, non est contra decorum. Illud autem, in inanes cachinnos prorumpere, & corpore contra animi voluntatem subsultare, nequaquam est eius, qui animo composito sit, aut planè probo, & com-pote sui ipsius. S. Gregorius Nazianz. Orat. 14. tradit, quod in Monachis debeat esse subrisio levis, imò subrisiois vix nota. S. Bernardus in vita S. Malachiae scribit, quod risus ejus fuerit index Charitatis, aut provocans Charitatem; rarustamen & ipse; equidem interdum eductus; excussus nunquam: qui ita nuntiaret cordis letitiam; ut ori gratiam non minueret, sed auget.*

ret : tam modestus ; ut levitatis non posset esse suspectus : tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni tristitia nava vel nebulâ vindicare sufficeret.

Quintò corrigenda est in nobis morositas, tristitia, & inhumanitas vultus ; ita ut nullus prorsus sit nevè gestus, neq; motus, non verbum, non oculorum acris obtutus, non vultus conformatio ulla, non aliud quippiam, ex quo eorum, quibuscum vivimus, irritari animus possit ; ut inquit S. Basilius *serm. 1. de Instit. Monachor.* Qui & *serm. de abdicat.* monet, ut loquamur adhibitâ quâdam oris festivâ hilaritate. Id quod etiam Statuta Canonica Ordinis Præmonstratensis requirunt *dist. 1. c. 26.* Sint in communi conversatione benigni atq; modesti ; in animi relaxatione cum religiosâ moderatione & gravitate laxi. Et *c. 22.* Facies sit serena ; & hilaritatem potius exhibeat, quàm tristitiam. Omnes mores suos accuratè componant ; ut nihil sit torvum in oculis & c.

Sextò vitandæ sunt etiam aliæ quædam inurbanitates, quæ præsentibus offendere possunt ; videlicet coram natu majore quàm tu, cave nè assidere festines. Quod si, ut id facias, jubeare ; nolito tu in pari cum illo sellâ sedere ; sed operanda, ut sellam tibi humiliorem aliquam invenias. Inter sedendum cave, nè crus cruri alteri superponas ; siquidem istud facere animi parùm attentè atq; aliud agentis indicium est. Cave, nè lava tua petulanter se jactet ; nevè spreto naturæ ordine imperium sibi in dexteram usurpet ; uti monet S. Basilius *serm. de Abdicat.* Indecens quoq;

quoque est, inter loquendum vestem alterius at-  
 tractare; aut salvia ex ore proficiente eum com-  
 pluere: unde non nimis approximandum est ei,  
 quo cum loquimur; sed justum semper interval-  
 lum mediare debet loquentem inter & audien-  
 tem; quale est spatium unius passus. Similiter  
 non convenit, ut quis inter loquendum manu  
 tractet vel gyret strophium, dentiscalpium,  
 clavem, cingulum &c. Quod si forsan necessi-  
 tas cogat exspuere, vel nares emugere; id fiat  
 facie & corpore converso ad latus illud, quod  
 nemo claudit; ita ut sputum non projiciatur an-  
 te alios & sub aspectum illorum. Si vero utrum-  
 que latus claudatur ab adstantibus; tunc rece-  
 dendum est nonnihil, & à tergo illorum ejicien-  
 dum est sputum, vel emungendæ nares. Fe-  
 didissimum autem est & maximè inurbanum, si  
 quis nares purget aut emungat non Strophio-  
 lo, sed manu vel nudâ, vel chirothecis tectâ,  
 vel etiam uno digito admoto sordes ejiciat. Item  
 si quis mucum & materiam emunctam in Stro-  
 phiolo intueatur & contempletur; vel Stro-  
 phiolum ventilando & excutiendo, sordes inhæ-  
 rentes projiciat in terram. Indecorum quoque  
 est, coram aliis purgare dentes, nares, vel au-  
 res immisso digito, cultro, scalpulo &c. aut dum  
 sentis pruritus in capite vel alio quovis cor-  
 poris membro, illud fricare, aut manum intra  
 vestes mittere ad sedandum pruritus &c.

Septimò abstinendum est in conversatione à  
 nimia gestulatione & motu brachiorum aut  
 manuum, contorsione labiorum, corrugatione

U s fron-

frontis, agitatione humerorum, contractione narium, gyratione oculorum, inclinatione & applicatione corporis ad parietem &c.

165. Quinta conditio charitativæ conversationis est, ut *objectum* colloquii sit honestum, decens, & tam loquentium quam audientium statui ac conditioni conveniens; nullique sive præsentium, sive absentium præjudicans & noxium. Undè primò non est loquendum de vitiis & defectibus absentium moralibus aut naturalibus; sive hi publici & notorii sint, sive occulti; juxta illud tritum: *De Absentibus non nisi bene*. Secundò præsentibus vitia & defectus non sunt exprobrandi, aut in faciem objiciendi. Neq; in colloquium adducenda sunt ea, quibus prævidere possumus aliquem ex adstantibus fore irritandum, & ad indignationem provocandum; aut contristandum; vel confundendum, & rubore afficiendum. Hæc enim & similia causant animorum alienationem, diffidentiam, & aversionem; uti & manifestatio seu revelatio secretorum, irrisio, & improprium. Undè *Eccl. 22.* dicitur: *Adamicum etsi produxeris gladium; non desperes: est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, & improprio, & mysterii revelatione, & plagâ dolosâ: in his omnibus effugiet amicus.* Tertiò omnium adstantium aures meritò offenduntur & exasperantur, si religiosum audiant loquentem de rebus obscœnis, aut fœdis, & indecentibus; de nuptiis, puerperiiis, saltationibus, fœminis conjugatis vel solutis;

lutis; de formâ, staturâ, vestitu, aut incessu  
mulierum &c. Quia hæc omnia sunt alienissi-  
ma à vocatione, conditione, & statu illorum,  
quem professi sunt, & sacro Habitu præsefe-  
runt.

§. 6.

*De ministerio fratribus exhibendo.*

166. **C**onsistit hoc ministerium in eo, ut fra-  
tribus nostris spiritualibus exhibeamus  
servitia & charitatis officia tum spiritualia tum  
corporalia; Et hæc non tantum honorifica ac  
splendida; sed etiam vilissima, & abjectissima;  
sicut Christus Dei filius exhibuit discipulis suis  
*Joann. 13.* Quando surgens à cœnâ, mittens  
aquam in pelvim, *cœpit lavare pedes discipulo-  
rum, fuitque in medio discipulorum, sicut qui  
ministrat Luc. 22.* Unde subjungit citato capite *Jo-  
annis 13.* *Scitis, quid fecerim vobis? vos vocatis  
me Magister, & Domine, & benè dicitis: sum ete-  
nim: si ergò ego lavi pedes vestros Dominus &  
Magister; & vos debetis alter alterius lavare pe-  
des. Exemplum enim dedi vobis, ut quemad-  
modum ego feci vobis; ita & vos faciatis. Man-  
datum novum do vobis, ut diligatis invicem,  
sicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem.* Et  
*S. Paulus Galat. 5.* hortatur: *per charitatem  
spiritus servire invicem: omnis enim lex in uno  
sermone impletur: diliges proximum tuum, si-  
cut teipsum. Item Galat. 6.* *Alter alterius one-  
ra portate; Et sic adimplebitis legem Christi.* S.  
Basiliius pro magno beneficio reputat, servire  
Fra-

Fratribus posse in necessitatibus etiam temporalibus & corporalibus; sic enim ait *constit. Monast. c. 27. Nemo in adjuvandis communibus aliorum corporis necessitatibus operam denegare suam debet; quin suppliciter potius petendum est à Deo, ut facultatem adjuvandi ceteros ab ipso promereamur accipere. Et serm. 1. de Instit. Monachor. Quae necessario in communi conventu tractanda ministeria sunt, ea mutatis in orbem vicibus circumaguntur: ut humilitatis merces communis sit. Atque hinc serm. de Abdicat. monet, ut quilibet ministeria sibi assignata & imposita personaliter obeat, & nulli alteri perficienda committat: Nè passus sis, ut quae propria muneris tui sunt, ea alius faciat: nè merces quoque erepta tibi, alii tribuatur.*

167. Qualiter verò & quibus modis quilibet injuncta sibi ministeria Fratrum obire debeat, quâ charitate, promptitudine, & alacritate unumquodque opus ac laborem etiam vilissimum perficere, tradit idem S. Pater serm. de Abdicat. dicens; *Quotiescunq; tua tibi in fungendis pro communi re Fratrum ministeriis vices obtigerint, in eo vigila, ut ad laborem corporis verborum etiam lenitatem adhibeas; ut ii, quibus ministras, charitatem te habere adversum ipsos intelligant: quò videlicet gratum sit illis ministerium tuum. Et infra: assignato tibi ministerio cum modestia fungitor sedulitateq;, perinde ac si Christo ipsi ministrares, Maledictus enim homo, qui facit opera Domini negligenter: esto, quae tibi praemanibus sunt ministeria, contempna admo-*

admodum abjecta q̄ videantur. Magna res est alteri ministrare, ejusmodi q̄, ut per eam nobis ad cæleste regnum ascensus paretur. Causam dat in Regul. brevior. interrogat. 160. Quia scilicet ministeria Fratribus nostris exhibita, ipsi Christo præstantur. Cum enim interrogasset, cujusmodi animi affectione debeamus Fratribus ministrare? respondet: perinde ac si Domino ipsi ministrarem, qui dixit: quatenus fecistis uni de his Fratribus meis minimis mihi fecistis. Aliam dat in Constit. Monast. c. 24. dicens: Intelligendum illud est, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum studio, magna q̄ cum animi alacrite suscipere; scientem, nihil minutum esse, quod Dei causâ fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi, quod cælum nobis & præmia cælestia conciliat. Si de muneribus iis, quæ abjectiora sunt, aliquid exercendum sit, scire convenit, Salvatorem quoq̄ ipsum discipulis ministrasse, & abjectiora opera facere non recusasse; magnumq̄ homini esse, si Dei imitator existat; cum per hæc, quæ humilia sunt, ad altitudinem illam, quod illum est imitatus, ascendat. Quanquam quis iam humile ausit quippiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusavit?

168. Ex his autem S. Patris & Doctoris Ecclesiæ verbis colligitur, quam graviter errent, ac seipso defraudent, qui hujusmodi fratrum ministeria reputant & vocant *difficilia Religionis onera*; illaque vel planè subterfugiunt & excutiunt tanquam jugum importabile; vel non  
nisi

nisi invito & indignabundo animo faciunt; aliquando etiam ut nimis vilia & abjecta, suoque statu indigna, & solis Novitiis convenientia non sine murmure & stomacho recusant. Nam imprimis vile, abjectum & contemptibile non est, quod ipse Dei Filius, cœli terræque Dominus propriis suis manibus obivit, & suo exemplo nobilitavit, dignificavit, ac magnificavit. Deinde tales præter superbiam suam, quâ servire aliis detrectant, satis etiam produnt, & manifestè convincuntur, quod proximos & confratres suos nondum corde & opere diligant. Charitati enim nihil grave & onerosum videtur, dicente Apostolo, *1. Corinth. 13. Caritas patiens est: Omnia suffert; omnia sustinet.* Nec potest legem charitatis adimplere, qui fratrum suorum onera portare recusat; sicut dicit idem Apostolus. *Galat. 6. Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi.* Cumque S. Joannes *1. Epist. c. 3.* dicat; *In hoc cognovimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit; Et nos debemus pro fratribus animas ponere:* Quomodo tales animam seu vitam ponent pro Fratribus; qui modicum & brevem corporis laborem, molestiam, difficultatem in ministerio Fratrum tolerare nolunt? Præterea sunt ministeria & servitia, quæ Fratribus exhibentur, ipsi ministranti & servienti summoperè proficua & utilia: Nam primò in illis non solum imitamur Christum Dei Filium in terris conversantem, & ipsi conformamur; sed insuper ministrando Fratribus, ipsi  
Chri-

Christo ministramus. Dicit autem Christus ministris suis *Joann. 12. Si quis mihi ministrat, me sequatur; Et ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Secundò cum in ministeriis Fratrum communiter sit adjunctus quidam labor, difficultas, & molestia; hinc fit, quod satisfactoria sint ejusmodi opera pro pœnis temporalibus in hac vel alterâ vitâ exolvendis; sicut docet Tridentinum *Seff. 14. De Pœnit. c. 9.* Tertiò quia servitia Fratribus exhibenda sunt quædam corporis & animi erga ipsos submissio & humiliatio; per illa viam nobis sternimus ad virtutem profundæ Humilitatis obtinendam: *Humiliatio enim via est ad Humilitatem; sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi;* inquit S. Bernardus *Epist. 87.* Undè S. August. *tractatu. 58. ait: Cum ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur ipsius Humilitatis affectus.* Quartò cum vita communis Religiosorum stare & durare non possit sine ministeriis & servitiis corporalibus; neque etiam functiones spirituales (cujusmodi sunt Laus Dei in Choro, prædicatio verbi Divini, Catechesis, Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ administratio &c.) ritè peragi valeant; nisi aliqui sint, qui vitæ necessaria curent. & in corporalibus ministeriis serviant iis, qui propter sublimiores mentis occupa-

cupa-

cupationes exteriora hæc tractare impediuntur: hinc planè sequitur, quod illi, qui in Religiosâ communitate exhibent necessaria corporis & vitæ ministeria his, qui in Laude Dei, Officio prædicandi, catechizandi, confessiones poenitentium excipiendi, aliisque spiritualibus functionibus sunt constituti, vel per studia literarum ad easdem se disponunt & perficiunt, cum iisdem spiritualibus operatoribus participant in omnibus eorum fructibus & meritis; quia ad omnes eorum spirituales functiones suo modo concurrunt, & illis cooperantur. Sumus enim invicem membra unius corporis mystici; uti ostendit Apostolus *Rom. 12.* dicens: *Sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Sicut igitur Deus in corpore humano ita disposuit, ut nullum membrum sibi soli operaretur, sed omnia & singula pro bono & conservatione totius corporis laborarent; & quodlibet etiam minus nobile de fructu, operatione & labore aliorum participaret; quamvis eandem cum illis actionem immediate neutiquam exerceret: ita in congregatione Religiosâ, ubi nullus sibi soli operatur, sed omnes & singuli ad totius bonum & finem suo modo concurrunt, quamvis non per eandem actionem; quilibet etiam de Bono & Fine totius participat, ac meritorum & præmii aliorum fit particeps; juxta illud *1. Reg. 30. Equa pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas;*

*vinas*, quia uterque suo modo concurrat ad victoriam. Id quod colligitur etiam ex S. August. *serm. 14. de Sanctis*; ubi ait de Saulo vestes lapidantium Sanctum Stephanum asservante: *Non satis ei fuit, suis eum manibus lapidare; sed ut esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis serviens omnes adjuvando, quam suis manibus lapidando.* Sicut enim ideo Saulus omnes lapidantes adjuvabat, & in singulorum manibus erat, quia asservando vestes eorum, faciebat, ut reliqui expeditius & sine impedimento possent lapidare: ita merito dici potest, quod illi Religiosi, qui curando temporalia, & serviendo aliis suis Fratribus ejusdem congregationis in ministeriis corporalibus, causa sunt, cur hi promptius, liberius, & expeditius possint obire functiones suas spirituales erga Deum & Proximum, sint in omnium spiritualium operariorum manibus, & plus præstent ac majus præmium mereantur omnes adjuvando per suum ministerium corporale, quam si propriis suis linguis prædicarent.

§. 7.

*Quæ requirantur conditiones ad operum nostrorum ordinariorum rectitudinem & perfectionem.*

Ex parte modi operandi.

169. **Q**uamvis opera ordinaria, quæ quilibet Ordo Religiosus ex vita Christi transumpsit, ac certis Regulis & constitutionibus præ-

X

præ-

præscripsit, ex objecto suo honesta sint & laudabilia; utpotè quæ spectant vel Divinæ Majestatis cultum, vel ad nostram, aut alienam salutem: Nihilominus ut eadem opera sint perfecta; & nos operantes constituent ac denominent perfectos; certas adhuc conditiones exigunt tum ex parte subjecti, & principii operantis; tum ex parte modi operandi; tum ex parte finis, ob quem exercentur. Et quidem *ex parte subjecti ac principii operantis* diximus jam supra, requiri statum gratiæ, ut videlicet operans sit liber & purus ab omni peccato mortali, & præditus gratiâ sanctificante seu habituali, justus & Amicus Dei. Nam *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* I. Corinth. 13. Quid *ex parte finis* requiratur, ut opera nostra sint perfecta, dicam inferius. §. 9. Nunc autem agitur solùm de conditionibus tenentibus se *ex parte modi operandi.* Porrò non est sermo hic de illâ perfectione operum, quæ exigitur ab iis, qui in tertio gradu perfectorum sunt jam constituti; sed tantùm inquiritur, quas condiciones Novitii seu Tyrones, qui in primo adhuc gradu comprehenduntur, observare debeant in operando, ut eorum opera suo modo sint perfecta.

170. *Prima* igitur conditio est, ut quodlibet opus præscriptum fiat integrè, totaliter, completè, & secundùm omnes suas partes, prout in Regulâ vel Statutis ordinatur. Hoc enim est, quod

quod dicitur *Eccl. 33. In omnibus operibus tuis  
præcellens esto. Et Matth. 3. Decet nos implere  
omnem justitiam. Quia bonum ex unâ integrâq;  
causâ existit; ut inquit S. Dionysius lib. de Di-  
vinis Nomin. c. 4. Undè *Eccl. 7. dicitur; Qui ti-  
met Deum, nihil negligit; etiamsi parvum videat-  
ur. Et Apostolus 1. Corinth. 15. hortatur, ut  
simus abundantes in opere Domini semper; scien-  
tes, quod labor noster non est inanis in Domino.*  
Qui autem abundat in opere, is nullum in illo  
admittit defectum. Denique Christus, qui est  
perfectissimum nostrum in operando exem-  
plar, ad Patrem suum ait. *Joann. 17. Opus con-  
summavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et Joann.  
14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic fa-  
cio.**

*Secunda conditio est, ut in operando serve-  
tur ordo debitus & præscriptus, singulaque o-  
pera certis & statutis suis horis ac temporibus  
peragantur, juxta ilud Apostoli 1. Corinth. 14.  
Omnia honestè & secundum ordinem fiant. Nam  
si in humanis & corporalibus rebus expedit omni-  
nò, ut ordo servetur; nè confusione deficiant:  
Quantò magis in spiritualibus habendus est? in-  
quit B. Laurentius Justinianus. lib. de Disciplin.  
& Perfect. Monast. conversat. c. 10. Ubi etiam  
addit, maximi procul dubio periculi rem esse,  
prout suggerit animus, velle degere. Propterea  
cunctis consulendum est, ut taliter unumquodq;  
disponant opus, quatenus qualibet hora propriam  
habeat actionem: Sciant, quando orationi, quan-  
do lectioni, quando operi manuum incumbendum  
sit.*

X 2

lit.

*fit.* Servanda est igitur temporis & horarum pro  
 quolibet opere distributio, sicut in Regulâ &  
 constitutionibus ordinatum & dispositum est:  
 Qui autem eam dispositionem negligit, is tur-  
 bator est communitatis, & Dei ordinationi resi-  
 stit; atque ideò, quia juxta propriam suam vo-  
 luntatem operatur, omni se fructu obedientiæ  
 privat. *In die jejunii vestri invenitur voluntas  
 vestra;* inquit Deus *Isaia 58.* *Nunquid tale est  
 jejunium, quod elegi?* Quod de omni opere Re-  
 ligionis dici potest, si non tempore suo fiat, &  
 contra ordinem præscriptum. Undè B. Lauren-  
 tius Justinianus supra ait, tales effici ludibrium  
 immundorum spirituum, qui *lectioni vacant,*  
*cùm orare deberent; orationi insistunt,* *cùm li-  
 ceret operari.* Censetque hanc in operando con-  
 fusionem & disordinem esse adscribendum im-  
 prudentiæ eorum. Nam *qui pollent prudentiâ,*  
*suo tempore orant, suo tempore legunt, suo tem-  
 pore manibus operantur; singula singulis suis per-  
 agunt horis.* S. Bonaventura in *Speculo Discipl.*  
*part. 1. c. 4.* ait: *Habenda est in agendis obedi-  
 tiæ sanctæ authoritas: sine quâ nec etiam ipsa bo-  
 na sunt bona: voluntas siquidem propria boni  
 virtutem infirmit.*

*Tertia* Conditio est, ut in operando non si-  
 mus inconsiderati, leves, remissi, negligentes,  
 perfectorii, tepidi, tædiosi, ex merâ tantum  
 consuetudine opera nostra facientes; sed ut  
 nos exhibeamus alacres, gnavos, ferventes, stre-  
 nuos, excitatos, & fortes, *stabiles & immobiles.*  
*1. Corinth. 15,* firmiterque persistamus contra  
 diffi-

difficultates; Sollicitudine non pigri, ferventes,  
 Domino servientes. Roman. Fervor enim, ala-  
 critas, promptitudo decet fidelem & pruden-  
 tem Dei servum; sicut ait. B. Climacus, grad.  
 I. Quis est fidelis & prudens Monachus? qui  
 fervorem suum servavit inextinguibilem; Et  
 indies usq. ad finem vita sua ignem igni adjicere,  
 fervorem fervori, desiderium desiderio, & stu-  
 dium studio nunquam desit. Econtra tepidi-  
 tas, animi remissio, & tædium in operando fa-  
 cit nos Deo execrabiles; nam maledictus, quæ  
 facit opus Dei negligenter. Jerem. 48. Et Apoc. 3.  
 ait Christus cuidam operario tepido: Scio opera  
 tua: quia tepidus es, incipiam te evomere ex  
 ore meo. Undè Eusebius Emisenus homil. 3. ad  
 monachos. Ille tantorum munerum repromissor  
 Deus non vult in opere suo habere tepidum, de-  
 spicit fastidiosum, recusat coactum, respuit inde-  
 votum. Et homil. 6. Hoc maximè studeamus,  
 ut illa, quæ in honorem Dei agimus, cum clavo  
 agamus animo, cum fidei gaudio, & cum bono  
 devotæ voluntatis affectu. Quidquid inviti atq.  
 compulsi facimus, noverimus nos ex eo non so-  
 lum nullum habere fructum, sed maximum in-  
 currere detrimentum. Si cultus atq. honor ho-  
 minis hilaritatem requirit, quantò magis in ho-  
 nore Dei nostri observare debemus, nè ad obse-  
 quia ejus compulsi, nè tristes, nè inviti venia-  
 mus. Non respicit Deus ad munera, quæ negli-  
 genti ac vili animo offeruntur. Fervor in ope-  
 rando facit, ut Deus per suam gratiam libera-  
 lius nobiscum concurrat ad opera nostra.

X 3

Quan-

Quando videt Spiritus Sanctus fervens desiderium & vigilem mentem, tunc & gratiam suam opulentam liberalius largitur. inquit S. Chrysostomus homil. 3. in Genes. Fervor in operando facit, ut difficultates in quotidianis operibus nostris occurrentes facilius superemus; & fervore nobis opus est, ut illis difficultatibus non cedamus; sicut ait idem S. Chrysostomus homil. 31. ad Popul. Magnum quoddam est, charissimi, generosus & ingens animus; & propterea promptitudine nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito: alioqui non licet nisi crucifixum Regnum assequi. S. Laurentius Justinianus lib. de inter. const. c. 11. describit tepidorum & ignavorum Religiosorum opera his verbis: Relaxant oris sui custodiam, morum gravitatem, mentem incultam permittens otiositate relinquunt, virtutum habitus & perfectionis culmen obtinere se posse diffidunt. Sat esse arduantur, si perseverent in claustris, si delicta priora non repetant, si in aperto opere non delinquant mortaliter. Quamobrem orationem negligunt, abhorrent pugnam, fugiunt sanctitatem &c. Nempe ignavia torpore oppressi, & charitate frigidi, & in spiritali praelio sunt infirmi. Solam ducuntur consuetudine; Et plerumque necessitate, atque sui rubore compulsi, tam illa, qua ad divinum cultum pertinent, quam illa, qua utilitatibus inserviunt, proximorum, remissa peragunt corde. Detestantum est prorsus hoc hominum genus, &c. S. Bernardus etiam serm. 6. de Ascensione Domini fervidorum, & tepidorum

Reli-

Religiosorum actiones depingens, ait: Adverte-  
 re potes in omnibus ferè Religiosis congregatio-  
 nibus viros repletos consolatione, superabundan-  
 tes gaudio, jucundos semper & hilares, spiritu fer-  
 ventis, die ac nocte meditantes in lege Dei, cre-  
 bro suspicientes in cælum, & puras manus in ora-  
 tione levantes, Sollicitos observatores conscientia,  
 & devotos sectatores bonorum omnium: Quibus  
 amabilis disciplina, dulce jejunium, vigilia bre-  
 ves, labor manuum delectabilis, & universa deniq;  
 conversationis hujus austeritas refrigerium vi-  
 deatur. Contra sanè invenire est homines pusilla-  
 nimes & remissos, deficientes sub onere, virgâ &  
 calcaribus indigentes, quorum remissa latitia,  
 pusillanimitas tristitia est; quorum brevis & rara  
 compunctio animalis cogitatio, tepida conversatio  
 Quorum obedientia sine devotione, sermo sine  
 circumspeditione, oratio sine cordis intentione, le-  
 ctio sine edificatione. Quos deniq; (Cutî vide-  
 mus) vix gehenna metus inhibet, vix pudor co-  
 hibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet.  
 Non tibi horum vita inferno penitus appropin-  
 quare videtur? dum intellectu affectui, & af-  
 fectu intellectu repugnante, necesse habent mit-  
 tere manum ad opera fortium, qui cibo fortium  
 minimè sustentantur; socii planè tribulationis,  
 sed non consolationis Subdit denique: Exur-  
 gamus obsecro, quicumq; ejusmodi sumus, re-  
 sarciamus animas, spiritum recolligamus, abjici-  
 entes perniciosam tepiditatem; Et si non, quia  
 periculosa est, & Deo solet etiam vomitum provo-  
 care; certè quia molestissima, plena miseria &  
 dolo

doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis jure censetur.

Quarta conditio & priori affinis, in hoc consistit, ut opera nostra ordinaria peragamus cum spiritali gaudio & lætitiâ, in hilaritate animi, & mentis exultatione; juxta illud Psalm. 99. *Servite Domino in Lætitiâ.* Et Eccli. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Item 2. Corinth. 9. *Non ex tristitiâ aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* S. Laurentius Justinianus de Discipl. & perfect. Monast. conversat. c. 24. ait: *Dei servus famuletur letanter; ut Deo amabilis reddatur: Sanctosq. imitetur Angelos, qui indicibili dulcedine & jucundissimâ conditori suo obediunt charitate.* Et S. Bernardus sermone de virtute Obedientiæ: *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Nubiliosâ corporis compositio, & facies tenebris obscurata tristitia, devotionem ab animo recessisse signant. Quis imperat libenter tristitiam efflanti? si vis ergo perfectus esse, hilariter & cum magnâ vultus alacritate suscipe jubentis imperium.*

Quinta conditio est, ut opera nostra ordinaria, cum sint plerumque actus virtutis Religionis ad Dei cultum ordinati, vel ad proximi salutem & ædificationem pertinentes, cum magnâ circumspectione, reverentiâ decore, & externâ modestiâ peragamus: Quia in illis ob eundis spectaculum sumus mundo, & Angelis, & hominibus; 1. Corinth. 4. *Maximè autem Deo Undè ipse incessus, & motus, vultus, sermo*  
silen



*tia operis.* Alter verò illius gradus est, prædicta opera & functiones exequi insuper libenter, promptè, alacriter, cum propensione voluntatis, & lætitiâ spirituali. Quæ *Obedientia voluntatis* nuncupatur, & priore existit perfectior. De quâ S. Columbanus *in Regul. c. 3. Nihil recusandum est Obedientibus veris discipulis Christi, quamvis durum & arduum sit; sed cum fervore & lætitiâ accipiendum est. Quod si talis non fuerit Obedientia, non erit acceptabilis Deo.* Et S. Bernardus *serm. de Obedientia: Verus obediens mandatum non procrastinat; sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itinere; & sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Verus igitur obediens opera suæ vocationis ordinaria non negligit; non mutilè & defectuosè illa peragit; non obiter, levi brachio, remissè, tepidè, & cum fastidio illa adimplet; non ea differt in tempus non suum: sed in quovis opere ita se gerit, ut possit fiducialiter cum Christo dicere in fine & articulo vitæ: *opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Joann. 17.* Novit enim, quod Deus *reddet unicuique secundum opera ejus. Matth. 16.* Et quod *in orientes sequuntur opera illorum. Apocal. 14.*

172. *Secundum* medium est, ut semper inter operandum recogitemus, quod omnia nostra exercitia, functiones & opera faciamus in præsentia, conspectu, & oculis Dei cuncta cernentis & accuratissimè contemplantis: *verebar omnia opera mea, inquit Job. c. 9.* Quia ipse considerat

derat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat; ut idem ait c. 31. Et S. Augustinus c. 14. Soliloq. Dum attentè considero, Domine, quod in me perpetuò respicias, itaq; noctu & interdiu pro me excubes, ac si aliam in cælo sursùm & in terrâ deorsùm præter me creaturam gubernandam non haberes; dum inquam attentè considero, omnia opera, cogitationes ac desideria mea tibi patere, & aperta ante oculos tuos esse; timore pariter & confusione impleor. Magna certè nobis incumbit necessitas justè rectèq; vivendi; cùm videamus, omnia nos facere ante oculos Judicis cuncta cernentis. De quibus Dei oculis dicitur, Eccl. 23. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Suggest hoc medium Deus ipse Abrahamo Patriarchæ Genes. 17. dicens: Ambula coram me, & est perfectus, quasi dicat: si ambules coram me & in conspectu meo, jugiter recogitans præsentiam meam; eris in operibus tuis perfectus. De Enoch verò, qui placuit Deo, & fuit perfectus in viis suis, dicit Scriptura Genes. 5. Ambulavit cum Deo, id est, coram Deo, in oculis & in conspectu Dei; uti explicant interpretes. Econtra de impio dicit Propheta Regius Psalm. 9. Non est Deus in conspectu ejus. Propterea inquinata sunt via illius in omni tempore.

173. Tertium medium est, ut unumquodque opus & functionem, dum præsens ac sub manibus est, taliter peragamus, & ita toti in eâ simus, quasi

quasi nihil aliud nobis prætereà superesset peragendum; identidem nobis ipsis occinentes illud, quod sacrificulis olim acclamabat præco: *Hoc age, quod agis.* Quis enim urget & premit nos in Religione, ubi cuncta opera sunt ordinatissimè distributa, & suum cuique certum tempus est præfixum? Quis, inquam, exactor à tergo instat, ut de futuro opere cogitemus, dum præsens adhuc sub manibus versatur? Si testante Ecclesiaste c. 3. *Omnia tempus habent;* non est ratio, cur per curam præproperam & immaturam sollicitudinem negotii præsentis executionem præcipitemus; & ad aliud, cujus peragendi tempus nondum advenit, festinemus. Scilicet insignis hæc tentatio est Diaboli, conantis efficere, ut nullum opus faciamus exactè & perfectè. Undè Magister Avila tom. 3. *Epist.* monet. *Quando mentem rei alicujus cura importuno tempore occuparit, dicito: Nihil tale mihi nunc Dominus meus imperat; ac propterea de eâ cogitare opus non habeo; at cum id mihi Dominus meus injunxerit; tunc de illo tractabo.* Quia omni negotio tempus est, & opportunitas. Eccl. 8.

174. Quartum medium est, ut quodlibet opus & negotium ita tractemus, tanquam id ultimum & totius vitæ nostræ supremum foret. *In omni opere suo dicat sibi ipsi; si modo moriturus esses, faceres istud?* inquit S. Bernardus in *speculo Monachor.* Et S. Basilius *instruct.* ad *Filium Spiritual.* *Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies: cum enim diluculo surrexeris; ad vesperam te ambigas pervenire; & cum in lectulum ad quiescens-*

descendum membra tua posueris, nolis considerare de  
 lucis adventu. Refert S. Athanasius in vitâ Ma-  
 gni Antonii c. 21. de Discipulis ab eo institutis:  
 Erant in monte Monasteria tanquam tabernacu-  
 la, plena divinis choris psallentium, legentium,  
 orantium; Tantumq; jejunandi & vigiliarum ar-  
 dorem cunctorum mentibus sermo ejus afflaverat,  
 ut futura spei aviditate, ad charitatem mutuam  
 & misericordias indigentibus exhibendas jugè  
 studio laborarent &c. Quis tantum Monachorum  
 agmen aspiciens, quis virilem concordie cœtum  
 cernens, in quo nullus nocens, sed multitudo ab-  
 stinentium & certamen officiorum erat, non in-  
 hanc statim erumperet vocem: Quàm bona do-  
 mus tue Jacob, tabernacula tua Israel! Sermo  
 autem S. Antonii, qui tantum Discipulis ardo-  
 rem ad præfatorum bonorum operum studium  
 afflaverat, ut in eo exercitio non languerent,  
 refertur ab eodem Athanasio ibidem c. 15. Ubi  
 S. Antonium introducit ita loquentem: Hoc sit  
 primum cunctis in commune mandatum, nullum  
 in arrepti propositi vigore lassescere; sed quasi in-  
 cipientem augere semper, quod cœperit. Ad in-  
 ertiam autem calcandam, Apostoli præcepta re-  
 plicemus, quibus se mori quotidie testabatur: si-  
 militer & nos humana conditionis vitam ancipi-  
 tem retractantes, non peccabimus. Cum enim ex-  
 citati à somno, ad vesperum nos pervenire dubi-  
 temus; & quieti corpora concedentes, de lucis non  
 consulamus adventu, & ubiq; natura ac vitæ in-  
 certa memores, Dei nos intelligamus providentiâ  
 gubernari, hoc modo non delinquemus, aut aliqua  
 fra-

*fragili cupiditate raptabimur; sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potius metu quotidiani recessus & sejungendi corporis jugi meditatione omnia caduca calcabimus; Idem monuit circa finem vitæ & proximus morti; dicens: Desideriam instituto non debere subrepere; sed tanquam quotidie morituros, à sordidis cogitationibus animam custodire, & omnem amulationem ad Sanctos quosq; convertere. Hoc igitur Sancti viri documentum, & discipulorum illius exemplum sectantes, cogitemus in quolibet opere, quod unum aliquod sit futurum ultimum & novissimum, post quod non licebit amplius operari. *Negotiamini, dum venio. Luc. 19. Et: venit nōx, quando nemo potest operari. Joann. 9.* Quia autem nescimus, an non fortè hoc ipsum opus, quod sub manibus versatur, sit ultimum (*nescit enim homo finem suum*) illud non obiter, sed tanquam ultimum accuratè, diligenter, & cum magno conatu peragamus; juxta monitum Apostoli: *Dum tempus habemus, bonum operemur. Et Eccl. 9. Quodcunq; facere potest manus tua: instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Item Poetæ:*

*Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

175. *Quintum* medium est, ut solliciti simus, & proponamus tantummodò pro die præsentis; juxta monitum Christi *Matth. 6. Nolite solliciti esse*

esse in crastinum, crastinus enim dies erit sollicitus sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. Qui enim proponit aliquid observare aut facere, vel ab aliquo abstinere pro toto vitæ suæ tempore; is sæpè à diabolo tentatur & absterretur his aut similibus suggestionibus: Quid? tunè tot annis sustinebis rigorem hujus disciplinæ? semper ad matutinum mediâ nocte in choro decantandum surges? in mensâ nunquam ad satietatem comedes? alterius semper voluntatem facies? tantum frigus per plures, quibus adhuc victurus es, hyemes perferes? &c. Verum qui non ulterius quàm pro die præsentem solum proponit aliquid servare aut evitare, hic facilè Diaboli suggestiones explodit, respondendo: Non est, quod de observatione propositi mei in plures annos, menses, aut dies continuandâ sim sollicitus: dummodò hoc præsentem die à tali peccato vel imperfectione abstineam; dummodò hodie exercitia mea ritè peragam &c. crastinâ die videbimus deindè, quid ulterius faciendum incumbat: sufficit diei malitia, labor, & sollicitudo sua. Si enim hodie adhuc morerer, non requireret Deus à me rationem de futuro, sed tantum de præterito tempore, & præsentem die mihi concessio. Quinimò utilissimum erit, proposita sua concipere non pro integro die; sed tantum pro aliquâ illius parte v. g. ab Examine matutino usque ad meridianum, & ab hoc usque ad vespertinum; prout suis præscripsit S. Ignatius de Examine particulari; & in praxi observavit Monachus ille in vitis Patrum lib. 5, de continent. libello

bello 4. n. 58. ubi dicitur : *Esuriit quidam Frater à manè; & pugnavit cum animo suo, nè manducaret, donec fieret hora tertia. Et factà horà tertià exegit à se, ut fieret hora sexta; infudit panem & sedit, ut manducaret. Postea verò surrexit, dicens: manebo sic usq̃, ad horam nonam. Horà autem nonà fecit orationem, & vidit opus Diaboli sicut sumum exeuntem à se; & ita cessavit esuries ejus.*

176. *Sextum medium est, ut per actus frequentatos & sæpè repetitos contrahamus consuetudinem, opera nostra quotidiana & ordinaria peragendi sine defectu, accuratè, & exactè juxta Regulas & Statuta Ordinis Nostri. Talis enim consuetudo & habitus quo fortior fuerit & intensior, eò faciliora, sua viora & sapidiora nobis reddet exercitia nostra quotidiana; sicut docet S. Bernardus lib. 1. de considerat. dicens: *Primum tibi importabile videbitur aliquid: processu temporis, si assuescas; judicabis non adeò grave: paulò post & leve senties: paulò post etiam delectabit.* Id quod maximè locum habet in Novitiis, si maturè incipiant opera vocationis suè ritè peragere; & assuescant in illis exacti, punctuales, & accurati esse: *Adolescens enim juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eà. Proverb. 22. Et Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentià suà. Thren. 3.**

177. *Septimum medium est, ut in exercitio operum ordinariòrum & functionum quotidianarum vocationis nostræ nunquam tepescamus, aut segnes & remissi fiamus; sed in fervore pristino*

fino semper persistentes, alacres & indefessos  
 nos diu noctuque exhibeamus. Communis si-  
 quidem spiritualium Magistrorum sententia est,  
 diuturno usu comprobata, quod Religiosus se-  
 mel in teporem incidens & ignaviam, ægerrime  
 sit inde eluctaturus; ita ut miraculi ac prodigii  
 instar haberi soleat, si talis ad primum fervo-  
 rem revertatur. Unde S. Bernardus *Epist.* 96.  
 Monachorum tepidorum & vitam remissam a-  
 gentium conversionem nominat *Digitum Dei*;  
 subditque: *rarissima avis in terris est, qui de-  
 gradu, quem forte in Religione semel attigerit,  
 vel parum ascendat. Multo facilius reperies mul-  
 tos seculares converti ad bonum, quam unum  
 quempiam de Religiosis tepidis & ignavis ad me-  
 lius. Et S. Augustinus Epist. ad plebem Hippo-  
 nens. 137. Ex quo Deo servire capi, quomodo  
 difficile sum expertus meliores, quam qui in Mo-  
 nasterio profecerunt; ita non sum expertus pejo-  
 res, quam qui in Monasteriis ceciderunt. Ita ut  
 communiter nulla vel exigua spes concipi possit de  
 iis, qui in Religiosa vita deficere & obtorpescere  
 incipiunt; uti inquit Alphonsus Rodericus *part.*  
*1. de Exercit. Perfect. tract. 2. c. 8. n. 4.**

S. 9.

Quid requiratur ad rectitudinem operum  
 nostrorum ex parte finis.

178. *Finis*, propter quem operamur, est una ex  
 præcipuis circumstantiis actuum huma-  
 norum; ita ut finis moraliter malus efficiat a-  
 ctio-

tionem malam in genere moris; indifferentem, bonus bonam; nisi hæc aliundè inficiatur. Undè Christus *Matth. 6.* reprehendit Pharisæorum orationes & eleemosynas; eò quod hæc opera cœteroquin bona facerent ex vano & malo fine; nempe *ut videantur ab hominibus.* Quamvis autem non sit vituperabilis, sed honestus, laudabilis, & bonus finis, si quis operetur propter retributionem supernaturalem v. g. propter consecutionem vitæ æternæ & præmii cœlestis; quomodo Propheta Regius se operatum esse testatur *Psal. 118.* dicens: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes propter retributionem;* & S. Paulus *Hebr. 11.* scribit Moysen aspexisse *in remunerationem.* Ac propterea Concilium Tridentinum anathematizat eum, qui *dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur;* uti habetur in *Can. 8 sess. 6. de justificat.* Nihilominus Religioso ad perfectionem tendenti non est sistendum in hoc fine; primò, quia operari propter commodum & utilitatem propriam est mercenarium; sicut testatur S. Dorotheus *serm. 4.* dicens: *Si pœnam formidamus, in servili statu sumus; si verò mercedis lucra consecutantes, utilitatis & commodi proprii gratiâ divina mandata peragimus, mercenariis assimilamur: Nequaquam enim timore pœnæ, aut præmii cupiditate viri sancti voluntatem Dei faciunt, sed solo amore & benevolentia.* Secundo, quia finis hic in operibus nostris intentus non sufficit ad merendum de condigno præmii supernaturale; sicut expressè docet

docet S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 4. Et alibi, S. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. Scotus, Belarminus lib. 5. de Justificat. c. 15. cum aliis; Qui omnes requirunt intentionem finis ex charitate Dei actuali elicitam; probantque ex verbis illis Apostoli 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Deus igitur debet esse finis omnium operum & actionum nostrarum, non quatenus nobis bonus, benevolus, & beneficus; non quatenus remunerator est; sed quatenus in seipso bonus & summum Bonum est; adeoque intendi a nobis debet per actum charitatis & amorem benevolentiae sive amicitiae: Nam Scriptura dum operibus nostris promittit praemium supernaturale, semper requirit actum charitatis: uti Matth. 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis - propter me: gaudete & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Matth. 19. *Qui reliquerit domum &c. propter nomen meum, centuplum accipiet.* 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt eum.* Jacob. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae; quam repromisit Deus diligentibus se.* Galat. 5. dicitur, quod fides illa aliquid valeat, quae per charitatem operatur. Unde S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 4. ait, quod meritum vitae aeternae primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes se-

cundariò, secundum quod earum actus à charitate imperantur; adeoque si opus quodcunque non fuerit actus charitatis vel elicitus, vel imperatus, non merebitur de condigno vitam æternam.

179. Quamvis autem contraria Doctorum sententia non careat etiam suã probabilitate, videlicet quod opera bona sine charitate actuali mereantur quoque præmium supernaturale; Nihilominus conandum est Religioso & tendendum semper ad finem perfectissimum, quem Christus Dei Filius in terris ambulans omnibus suis operibus præfixit; utpotè cujus Actiones tam externæ quàm internæ semper procedebant ex purissimo amore erga Deum; & qui nihil aliud spectabat nisi voluntatem, beneplacitum, honorem, & glorificationem Dei; sicut ipse ait *Joann. 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me; ut perficiam opus ejus. Et Joann. 8. Ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Item Joannis. 17. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; manifestavi nomen tuum hominibus &c.* Undè Apostolus nos hortatur ad intentionem ejusdem perfectissimi finis. *1. Corinth. 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et Coloss. 3. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Jesu Christi; ita quidem, ut non solum in principio diei generalem quandam operibus nostris per diem faciendis intentionem præmittamus, quã ad Deum*

Deum ut ultimum finem nostrum ea referamus; sed insuper ante quodlibet opus particulare, eliciamus etiam particularem intentionem; imò sub uno eodemque opere, si diutiùs illud duret, aliquoties renovemus & reiteremus intentionem, ex nullo alio fine & motivo quàm charitatis procedentem; uti cum aliis Theologis & Magistris spiritualibus notavit S. Bonaventura in 2. sentent. dist. 41. a. 1. q. 3. dicamusque ex intimo cordis affectu: *Hoc, mi Deus, qui es summum et infinitum bonum, agam, vel patiar propter te, quia tibi placet, quia tu vis es precipis, ad tuam gloriam, tui solius amore, tibi soli placendi gratia &c.*

180. Porrò nè quis seipsum decipiat, existimando, se in operibus suis nihil aliud quærere nisi Deum, & solam ipsius voluntatem, beneplacitum, honorem ac gloriam intendere; cum reipsâ forsân nihil minùs intendat, sed potiùs se ipsum & propriam utilitatem vel gloriam quærat: hinc spirituales Magistri statuerunt certa quædam signa, ex quibus dignosci & distinguï possit vera intentio ex charitate Dei procedens à falsâ & fucatâ intentione.

*Primum* est: si in actionibus necessitati corporis subservientibus, cujusmodi sunt refectio corporis per cibum, potum, quietem, somnum, recreationem &c. advertenter & voluntariè metam necessitatis excesseris, plusque tibi indulseris, quàm necessaria corporis vel animi refocillatio postulabat; tunc signum manifestum est, te non voluntatem & beneplacitum Dei,

sed tuam commoditatem & voluptatem in iis actionibus intendisse.

*Secundum:* si defectum aliquem, quem in cibo vel potu, aut recreatione, & similibus pateris, non feras æquo animo; sed propterea impatientem te exhibeas; tunc hoc ipso ostendis, te non respicere ad voluntatem & beneplacitum Dei; utpotè qui hic & nunc vult, talium te rerum penuriam, defectum, & indigentiam pati.

*Tertium:* si Alio quodam in functionibus publicis v. g. in concionibus, catechesi, cantu, & similibus majorem populi plausum & laudem, vel etiam fructum referente, tu propterea tristeris, angaris, perturbabis; aut non tantam capias voluptatem, quantam percepisses, si tu ipsemet hujusmodi munia cum simili successu peregisses; tunc aperte convinceris, quod non Dei gloriam & honorem, sed tui solius gloriam intenderis: si enim Dei gloriam tantum spectasses, sanè ex animo optasses, ut quàm plurimi essent concionatores, confessarii &c. qui Dei gloriam & honorem promoverent; sicut fidelis Dei famulus Moyses quondam optavit, dicens: *Quid emularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet.* Num. 11.

*Quartum:* si post impensum & adhibitum sufficiens ac debitum in functionibus tuis studium, nihilominus advertas, minus feliciter eas tibi successisse, nec fructum expectatum te inde retulisse; ac propterea turberis, affligaris, & animo dejiciaris; tunc manifestum est, quod aliud quid intenderis, quàm Dei Beneplacitum & gloriam

riam. Qui enim solius Dei voluntatem respicit & attendit; is semper placidum, tranquillum, pacatum, quietum & serenum mentis suæ statum tam in adversis & sinistris, quam in prosperis laborum ac studiorum suorum eventibus æqualiter retinet, & constanter servat: Quia consequenter colligit, non placuisse Deo, & voluntatem seu Beneplacitum illius non fuisse, ut labor & conatus suus eo modo succederet & fructificaret, sicut ipse futurum sibi imaginabatur; sed Deum voluisse per contrarium eventum glorificari.

*Quintum*: si in acceptandis & dimittendis quibuscunque officiis ac functionibus non exhibeas te omnino indifferentem, & in Prælati tui voluntatem penitus resignatum; tunc argumentum est minimè fallax, quod non Dei unius Beneplacitum & gloriam, sed tuum interesse, proprium gustum, & commoditatem intendas.

*Sextum*: si in opere aliquo & functione laudem vel approbationem hominum, maximè Superiorum tuorum anxie quæras, & ab illis æstimari sollicitè desideres, nunquam satis contentatus & quietus, donec hi verbis aut signo aliquo ostendant, ipsis per te in tali functione satisfactum esse; tunc clarum est, quod hujusmodi sollicitudo & anxietas redoleat potius respectum ad homines, quam ad Deum.

181. Atque hinc patet, tres nobis scopulos hac in parte esse vitandos; primus est, nè inconsideratè, ex abrupto, præcipitanter, sine

ullâ intentione finis, & ex merâ solùm consue-  
tudine opus aliquod aggrediamur. Etenim;  
*Quod est corpus sine vitâ, hoc est opus sine inten-  
tione bonâ. Qualibet ergò actio quâmvīs bonâ  
videatur, quasi mortua iudicatur, nisi per con-  
siliū ad intentionem bonam animetur; ut inquit  
Richardus Victorinus de statu interni homin.*  
Alter scopulus est, nē operibus & functionibus  
nostris vanum aliquem & purē naturalem, aut  
(quod peius foret) pravum & perversum finem  
præfigamus, referentes opera & actiones no-  
stras ad laudem & plausum hominum; vel ad fa-  
vorem & gratiam Superiorum captandum; vel  
ad lucrum temporale, commoditatem corporis,  
voluptatemque sectandam &c. *Magna vecordia  
est, laboriosa agere; & aure laudis inhiare: forti  
opere præceptis cælestibus inservire, sed terrena  
retributionis præmium querere. Ut enim ita di-  
xerim: qui pro virtute humanos favores deside-  
rat, rem magni meriti vili pretio venalem por-  
tat: Unde cæli Regnum mereri potuit, inde num-  
mum transitori sermonis querit; ait S. Gregorius  
lib. 8. moral. c. 25. Quam multi labores corporis  
& animi suscipiuntur absque omni spiritali fru-  
ctu & merito, imò sæpè cum demerito; quia  
peraguntur cum intentione finis infructuosi, aut  
planè culpabilis & mali. Finis, inquit S. Augu-  
stinus lib. de Morib. Manich. c. 13. quò referun-  
tur ea, quæ facimus, si non solùm inculpabilis, sed  
etiam laudabilis fuerit, tunc demùm etiam facta  
nostra aliquâ laude digna sunt. Et Concione 12.  
in Psalm. 118. Magni interest, cum aliquid boni  
faci-*

facimus, *cujus rei contemplatione facimus*; officium quippe nostrum non initio, sed sine pensandum est, ut scilicet non tantum si bonum est, sed precipue si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. Unde idem S. Doctor lib. de Serm. Domini in Monte. c. 21. & S. Gregorius lib. 28. moral. c. 6. Intentioni applicat illud Matth 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam; totum corpus tenebrosus erit.* Ubi per corpus intelligunt quodlibet opus bonum hominis, vel saltem indifferens ex objecto suo; per oculum vero accipiunt *intentionem*.

Tertius scopulus est, ne sub specie & pallio Divinae gloriae, quam in ore habemus, nostram potius gloriam, utilitatem, aut commoditatem latenter in animo intendamus: sed sincero cordis affectu ex motivo purissimae charitatis supernaturalis procedente cunctas functiones & actiones nostras ad Deum semper referamus. Nisi enim bene attendamus, facillime & saepissime insinuabit se, & subintrabit amor proprius, corumpens actiones nostras etiam sanctissimas ex genere suo, & evacuans eas omni merito. Non raro siquidem putatur esse *amor Benevolentiae & amicitiae*, qui non est nisi *amor concupiscentiae*. Ad cuius proinde distinctionem sic



T 5

S. 10. De

## §. 10.

*De Charitate erga Deum.*

182. **D**iximus supra, perfectionem nostram, & rectitudinem operum nostrorum ordinariorum consistere potissimum in *charitate* erga Deum; scilicet in actibus charitatis, quibus omnia opera ad Deum ut summum Bonum referimus, ipsi inter operandum jugiter conjungimur, unimur, & adhæremus. Definitur autem *charitas Dei*, quod sit *virtus Theologica, divini-  
tatis infusa, quâ homo diligit Deum propter ipsum, & se ac proximum propter Deum.* Dicitur: *propter ipsum*; quia *charitas attingit Deum, ut in ipso sistat; non ut ex eo aliquid nobis proveniat*; ut inquit S. Thomas q. 23. a. 6. *in corpore.* In quo distinguitur ab amore concupiscentiæ; qui tendit in Deum, quatenus nostrum Bonum, noster Benefactor, nostra Beatitudo est; adeoque non est actus virtutis charitatis, sed spei. Verus autem amor, qui est actus charitatis, & dicitur *Amor Benevolentie & amicitie*, diligit Deum non propter nos, sed propter ipsum, ita ut ratio formalis diligendi sit *Bonitas* ipsi Deo intrinseca, quâ in se bonus existit & amabilis. Porrò nomine Bonitatis non intelligitur hic attributum speciale in Deo, ab aliis ejus attributis quoquo modo distinctum; sed intelligitur Bonitas pro complexo omnium Divinarum perfectionum, sive quatenus significat *absolutissimam Dei perfectionem in omni genere Excellentia, sive absolutissimam Dei*

Dei

Dei Excellentiam in omni genere Perfectionis ;  
 uti explicat Suarez *Disp. 1. de charit. sect. 2. n. 2.*  
 Deus siquidem amabilis est, & summo amore di-  
 gnus, non solum propter Speciale Bonitatis at-  
 tributum; sed etiam, quia infinite sapiens, ju-  
 stus, immensus, omnipotens, æternus, et in o-  
 mni genere perfectionis excellentissimus existit.  
 183. Dividitur autem charitas erga Deum in  
 habitualem, & actuaalem. De *Habituali*, quæ  
 in justificatione nobis infunditur, & per mo-  
 dum *Habitus* in animã justificatã perseverat,  
 eique ut *Qualitas* permanens inhæret, intelli-  
 gitur illud S. Pauli *Rom. 5. Charitas Dei diffusa*  
*est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui*  
*datus est nobis.* Ejus necessitas patet primò ex  
 eo, quod ipsa sit vel forma justificans & forma-  
 lis justitia, quã intrinsecè justii sumus, & in  
 filios Dei adoptamur, Regniq̃e cœlestis hære-  
 des constituimur; Sicut multi ex Theologis  
 docent: vel saltem sit cum justitia & gratiã  
 sanctificante semper ac infallibiliter conjuncta,  
 ita ut qui charitatem habituaalem non habet,  
 neq̃e gratiam justificantem habeat. Nam jux-  
 ta Tridentinum *Sess. 6. de Justific. c. 7. In justi-*  
*ficatione per Spiritum Sanctum Charitas Dei dif-*  
*funditur in cordibus eorum, qui justificantur;*  
*atq̃e ipsis inhæret. Et in ipsã justificatione cum re-*  
*missione peccatorum hæc omnia simul infusa acci-*  
*pit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fides*  
*spem & Charitatem; nam fides, nisi ad eam spes ac-*  
*cedat & charitas, neq̃e unit perfecte cum Christo,*  
*neq̃e corporis ejus vivum membrum efficit.* Patet  
 secun-

secundò charitatis Habitualis necessitas ex eo, quod absq̄ue illâ homo non fit vivum membrum Christi; ut suprâ inquit Tridentinum; adeòq̄ue nihil mereri possit de condigno; uti probatur ex *1. Corinth. 13.* Propter quod opera, quæ procedunt ab homine destituito charitate, dicuntur mortua; quia fiunt ab homine spiritualiter mortuo, seu vitâ supernaturali, quæ est Charitas Habitualis, destituito; juxta illud *Apoc. 3.* *Scio opera tua; quia nomen habes, quod vivas; & mortuus es.*

*Charitas actualis* est quilibet actus charitatis Habitualis, productus ab animâ per potentiam obedientialem elevata à Deo, vel per ipsum habitum infusum, si hic in subjecto præexistat, (sicut in iustis præexistit) vel saltem per auxilium DEI extrinsecum & actuale; prout in peccatoribus contingit. De charitatis actualis necessitate *ad merendum de condigno*, jam superiùs tractavimus, & illam ostendimus ex S. Thomâ, Bonaventurâ, Scoto & aliis. Quod verò etiam necessaria sit actualis charitas ad remissionem peccatorum & justificationem in casu, quo peccator in mortali constitutus, nequit ob defectum confessarii suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, probatur ex Tridentino *Seff. 14. de pœnit. c. 4.* ubi docet, contritionem *charitate perfectam* justificare peccatorem ante actualem Sacramenti susceptionem; attritionem verò, quamvis in Sacramento ad remissionem peccatorum disponat, non tamen posse sine Sacramento peccatorem

ad

ad justificationem perducere. Ex hoc enim manifestè sequitur, quod extra Sacramentum requiratur in peccatore ad justificationem contritio, *charitate perfecta*: Atqui hæc nihil est aliud, quàm actus charitatis; vel saltem illum involvit.

Præterea etiam extra articulum mortis & sæpius in vitâ necessaria est, *necessitate præcepti*. Actualis charitas, non solum peccatoribus, sed etiam justis; ita quidem, ut justis esse desinant, si non sæpius in vitâ actum charitatis eliciant: nisi fortè per ignorantiam inculpabilem hujus præcepti excusentur. Colligitur hæc necessitas ex illis verbis Christi *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Hoc est enim maximum & primum mandatû*. Quis enim prudens sibi persuadere poterit, quod maximum & primum mandatû obliget minus ac rariùs, quàm reliqua minora & inferiora mandata? at, qui alia mandata in vitâ sæpius obligant: ergo & maximum. Sanè Pontifices summi Alexander VII. & Innocentius XI. damnârunt propositiones & sententias quorundam Neôthericorum tanquam falsas & scandalosas, qui docebant, hominem nullo vitæ suæ tempore obligari ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis, vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium; aut saltem probabile esse, quod nè singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obliget hominem præceptum charitatis erga Deum.

184. Si de dignitate, utilitate, et efficaciâ charitatis erga Deum loquamur; *Habitualis est*  
Regi-

Regina, forma, et anima reliquarum virtutum  
 tum moralium, tum Theologicarum, estque il-  
 lis longe major et excellentior, dicente Aposto-  
 lo. *1. Corinth. 13. Nunc autem manent Fides,  
 Spes, Caritas, tria hæc: Major autem horum est  
 Caritas.* Undè quamvis recedente ex animâ  
 Habitu Charitatis, non propterea recedant et-  
 iam habitus Fidei ac Spei; sicut docet Tridenti-  
 num *Sess. 6. de Justif. can. 28.* Communis tamen  
 et verissima Theologorum sententia est, quod  
 reliqui Habitus infusi virtutum moralium et do-  
 na Spiritus Sancti Charitatem Habitualementem sem-  
 per ac infallibiliter consequuntur et concomi-  
 tantur tanquam pedissequæ Dominam; ita ut si-  
 mul cum ipsâ infundantur in justificatione, et  
 econtrâ simul etiam per quodvis peccatum mor-  
 tale cum eadem expellantur.

*Actualis* verò Charitas tres præstat Animæ  
 nobilissimos effectus et utilitates; *Primus* effe-  
 ctus est, quod per suam præsentiam in homine  
 destruat, aboleat, et deleat omnia ac singula pec-  
 cata mortalia, quantacunque illa sint, et quo-  
 modocunque multiplicata; ita ut talis actualiter  
 amans Deum in momento fiat ex peccatore ju-  
 stus, ex Diaboli mancipio Filius Dei, ex inimi-  
 co et hoste amicus Dei, Regni que cælestis Hæ-  
 res. Est enim actus quilibet supernaturalis Cha-  
 ritatis ultima et proxima dispositio ad infusio-  
 nem gratiæ justificantis; ita ut etiam ante susce-  
 ptionem actualem Sacramenti Pœnitentiæ per  
 actum Charitatis remittantur peccata; sicut do-  
 cet Tridentinum *Sess. 14. de Pœnit. c. 4.* Undè  
*Prov.*

*Proverb. 10. dicitur: universa delicta operit Charitas. Et 1. Petr. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Item Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Secundus effectus actualis charitatis est, quod per eam omnia nostra opera de se indifferentia, et ex objecto suo vel circumstantiis nec mala, efficiantur verè bona, Deo accepta, et vitæ æternæ meritoria; utpotè actus Charitatis imperati; qui de bonitate actus imperantis participant. Undè Apostolus *Rom. 8. ait: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Tertius effectus est, quod per actualem charitatem sive per actus Charitatis Deo conjungamur, uniamur, et adhæreamus, atque ita unus quasi Spiritus cum Deo efficiamur; juxta illud *1. Corinth. 6. Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.*

185. Porrò quamvis charitas actualis sive actus aliquis charitatis supernaturalis sit præceptus cuilibet homini ratione utenti, idque sapius in vita: Nihilominus præcepto non est certa intensio, sive certus et determinatus intensiois gradus; sed potest quis per actum quemvis Charitatis etiam remissum (dumodò sit verus et essentialis actus charitatis, quoad substantiam & entitatem supernaturalis) præcepto satisfacere; sicut communiter tradunt Theologi. Undè per illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ, & ex totâ fortitudine tuâ. Deut. 6. Uti & per illa verba Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

*toto*

toto corde tuo, in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ, non intelligitur, quod teneamur Deum diligere actu amoris vehementissimo & summo intensivè, sive tanto & tam forti, ut non possit alius elici major, intensior & fortior: id enim plenum foret scrupulis, anxietatibus & inquietudinibus; cum nobis constare non possit, quis actus sit altero intensior, fortior, vehementior. Solum ergò præcipitur, ut amor noster erga Deum sit summus *appretiative* & *æstivative*, quo scilicet Deo ita adhæreamus, ut plures æstimemus observantiam Divinorum præceptorum, quam universas res creatas; ita ut malimus omnia mundi Bona, & ipsam etiam vitam nostram perdere, quam contra Dei mandatum aliquod & voluntatem præcipientem in re gravi facere.

Atque hinc debet amor noster erga Deum esse *ex toto*; corde sive *ex totâ voluntate*, uti explicat S. Thomas. q. 44. a. 5. id est, debemus Deum ita diligere secundum omnia desideria & affectus nostræ voluntatis, ut non habeamus cor divisum, & propensum ad aliquid repugnans Divinæ voluntati; & ut nihil desideremus, vel affectemur neque in aliquo complaceamus, aut delectemur, quod sit contra aliquod Dei præceptum, saltem obligans graviter. Secundo debet amor noster esse *ex totâ mente*, sive *ex toto intellectu nostro*; ut videlicet nihil in intellectu cogitemus aut mente volvamus contra Dei præceptum; iudiciumque nostrum subiciamus iudicio Ecclesiæ, captivantes intellectu

ctum in obsequium Fidei; & totos nos dispositioni Superiorum submittamus per Obedientiam cæcam, nihil discernentes inter ea, quæ jubentur, neque curiosè inquirentes causam, cur hoc illudvè jubeant. Denique ut omnia ac singula addiscere, cognoscere & intelligere studeamus, quæ ad Divinorum mandatorum executionem, & voluntatis Prælatorum adimpletionem pertinent. Tertio debet Amor noster procedere *ex totâ Animâ*, id est, ex toto nostro appetitu sensitivo; ita ut omnes passiones & motus nostri hominis inferioris, sensuumque externorum operationes eatenus moderemur & coërceamus, quatenus Divinæ legi non adversentur. Quarto denique debet Amor noster erga Deum esse *ex totâ fortitudine*, id est, secundum omnes potentias nostras executivas; ita ut operationes nostræ exteriores à potentiis executivis dirigantur conformiter voluntati & Legi divinæ, scilicet juxta præcepta Decalogi & Ecclesiæ tanquam juxta Regulas certas ac infallibiles rectè operandi. De quibus ait Christus Joann. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et Joann. 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ.*

186. Quod verò S. Thomas. 2. 2. q. 186. a. 2. docet, Finem Religionis sive Status Religiosi esse *Charitatem perfectam*; sciendum est, quod tres generatim sint gradus Charitatis erga Deum.

*Primus* & infimus est, cum quis omnia mandata Dei sub peccato mortali obligantia observat,

Z

vat,

vat, & mavult omnia vitæ hujus Bona perdere, quàm Deum graviter offendere; insuper etiam sæpius actum Charitatis elicit, ita ut præcepto de diligendo Deo super omnia satisfaciatur: Nihilominus tamen de culpis venialibus evitandis non est multum sollicitus; sed illa voluntariè, plenè advertenter & deliberatè admittit. Quo in gradu multi ex sæcularibus hominibus deprehenduntur; estque hæc Charitas, quæ mandata Dei observantur, omnibus omnino hominibus ratione utentibus ad salutem necessaria, dicente Christo: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. 19.* Non tamen sufficere debet Religioso, qui profitetur tendentiam ad perfectionem, Undè

*Secundus* gradus Charitatis est, cum quis non solum omnia peccata mortalia vitat, sed etiam nullum veniale levissimum deliberatè, & cum plenà advertentiâ admittit: non solum observat præcepta Dei & Ecclesiæ; sed etiam Evangelicæ Consilia: Neque solum aliquoties aut sæpè in vitâ Charitatis actum elicit; sed totum amorem suum à creaturis omnibus abstrahit, soli que Deo impendit; omnia sua desideria, affectus & opera ad Dei gloriam & honorem, beneplacitum ac voluntatem refert; & quantum in hac vitâ possibile est, per actus Charitatis intensos jugiter Deo conjunctus ac unitus existit, ei que constanter amando adhæret. Atque hæc est illa perfecta Charitas, in quâ consistit Perfectio Religiosa, & ad quam omnes Religiosam Professionem tendere obligantur; imò quam omnes Religiosi vitam

vitam ex contemplativâ & activâ mixtam tenentes, & salutem animarum incumbentes, actualiter obtinere, & possidere debent. *Non est vestrum circa communia præcepta languere; inquit S. Bernardus Epist. ad Fratres de Monte Dei. Nec solum attendere, quid præcipiat Deus, sed quid velit; probantes, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum enim est Deo servire, vestrum adharere.* Hanc autem perfectam Charitatem obtinere nec dum possunt Novitii & Tyrões, primò quia plurimis impedimentis adhuc retardantur, cujusmodi sunt quotidiana peccata, mali habitus, passiones indomitæ, affectus erga parentes & consanguineos, species objectorum sæcularium in memoriâ residentes &c. Undè nondum valent liberamente ad Deum evolare, & illi adhærere. Secundò quia voluntas in amando sequitur intellectum in cognoscendo; non enim ferri potest in incognitum; undè si cognitio Bonitatis sit imperfecta; non potest amor ejusdem Bonitatis esse perfectus. Quod verò cognitio Divinæ Bonitatis sit valdè adhuc tenuis, exigua & imperfecta in Novitiis, colligitur ex eo, quod hætenus & ante ingressum Religionis nullum adhuc usum & praxin habuerint meditandi, libros pios legendi, colloquia & conferentias spirituales instituendi, contemplandi &c. Quæ tamen media requiruntur ad cognitionem & Notitiam Divinarum Perfectionum obtinendam.

*Tertius gradus Charitatis est, cum quis ita feratur in Deum actuali semper amore, ut nunquam*

ab amando desistat aut quiescat; sed incessanter Deo conjunctus & unicus existat per Charitatem intensissimam, & ex totâ animi fortitudine procedentem. Qui gradus non reperitur in Ecclesiâ militante; sed proprius est civium cœlestis Jerusalem, sive Ecclesiæ triumphantis; in quâ perfectiones Dei, propter quas est infinite amabilis, cernuntur non amplius obscure per lumen Fidei, sed clarè per visionem Beatificam, & lumen gloriæ; undè hæc clara & intuitiva visio Dei facit, quod Beati non possint cessare & desistere vel per momentum ab actuali amore Dei.

Quamvis autem secundus Charitatis gradus, in quo perfectio nostra consistit, varios comprehendat actus, quibus Anima Deo uniri & adherere potest; cujusmodi sunt gaudium de Bonis Dei, desiderium glorificationis Dei, conformatio voluntatis nostræ cum Divinâ, intentio gloriæ & Beneplaciti Dei &c. Nihilominus quia ultimus hic actus, scilicet intentio Bona, ex motivo Charitatis elicitâ pro incipientibus sufficit, non est, quod Novitii valdè de aliis sint solliciti; sed muneri & officio suo abundè satisfaciunt, si opera vocationis suæ ritè peragere assuescant juxta modum *suprà* §. 7. propositum; & ex *intentione finis perfectissimi*, qui est Deus in ipso summè Bonus, & infinite perfectus; prout §. 9. *su-*  
*sius declaravimus.*



§. II.

*De mediis ad operandum ex charitate Dei  
requisitis.*

187. **U**T verò in operibus nostris ordinariis & Exercitiis seu functionibus quotidianis possimus jugiter (quantum humana infirmitas, & vitæ præsentis conditio permittit) per actua- lem charitatem Deo esse & permanere con- juncti & uniti; duplicis generis media re- quiruntur. Nam aliqua sunt necessaria ad re- motionem impedimentorum positivorum, quæ scilicet obsistunt nobis, & obstaculum ponunt, nè opera nostra ad Deum per intentionem ex motivo Charitatis procedentem referre & cum fine nostro conjungere ac unire nos pos- simus. Qualia impedimenta sunt imprimis om- nia & singula peccata mortalia, quæ charitatem planè excludunt, & cum eâ sunt impossibili- lia; uti & venialia deliberatè & plenè adver- tenter commissa; quæ fervorem charitatis mi- nuunt; de quibus jam supra disseruimus. De- indè illa omnia, quæ tranquillum, pacatum, quietum & serenum animæ nostræ statum di- sturbant, variisque nos distractionibus, curis, sollicitudinibus, perturbationibus, & tumultuo- sis cogitationibus exagitant, etiamsi in se for- maliter mala non existant; cujusmodi sunt Bo- norum temporalium possessio, conjugium, affe- ctus inordinatus erga consanguineos, passiones

Z 3 & mo-

& motus inferioris Appetitus indomiti, cognitio objectorum vanorum &c. Docet enim quotidiana experientia, quod animus curis gravatus, distractus, aut motibus inordinatis, & perturbationibus agitato, non fit aptus & idoneus elevari ad Deum, & conjungi sive uniri illi, atque ex toto adhærere. Unde qui in conjugio vivunt, cor divisum habere dicuntur. *1. Corinth. 7.* Et possessio divitiarum nec non sollicitudo hujus sæculi suffocant verbum Dei. *Matth. 13.* S. Basilii hanc animi à curis & perturbationibus libertatem seu immunitatem, ejusque tranquillum & pacatum statum pro fundamento spiritualis ædificii sive perfectionis ponit; ait enim *præfat. Ascet. Age miles Christi, propositum tibi vitæ genus sit, domo, civitateq; ac possessione rerum omnium carens; solutus esto atq; ab omnibus vitæ hujus curis liber.* Et in *Regul. sus. interrogat. 5.* Ipsa, quæ ex Evangelio est, pietatis cultura, studiumq; ineunda apud Deum gratia in eo tota posita sunt, si quis animum suum ab omnibus prorsus mundi hujus sollicitudinibus avocavit; seseq; fundit in à quavis re, unde animo mentevè distrahi possit, abduxerit. Et infra: Illud nosse convenit, nos cum nullius alterius mandati cujusquam, tum nè charitatis quidem ipsius adversus Deum ac proximum observationem posse præstare, si huc illucq; mentem temerè passi fuerimus aberrare. Animadvertimus itaq; necesse esse, ut qui modo verè Deum sit secuturus, is à vinculis affectionum vitæ hujus solutus sit. Item *Epist. 1. ad Gregorium Theologum.*

logum. Primum mentem pacatam habere conveniebat; uti enim oculus continuo circumactus versatus, & nunc horsum illorsumq; deflexus, nunc sursum deorsumq; erectus vicissim ac depressus, exactè cernere nequit: hunc in modum mentem humanam sexcentis mundi curis distractam, evidenter cernere veritatem, vix est, ut evenire possit. Denique inconstit. Monast. c. 1. Cum Religiosus Deum unice sibi amandum proposuerit, & ab omnibus perturbationibus vacuitatem aliquatenus saltem, quantum possit, cupiat consequi, & spirituales puritatem tranquillitatemq; mentis, & ab omni intemperie submotam placiditatem, & qua ex his nascuntur, letitiam & gaudium optet degustare; in eo elaborat, ut ab omni concretione materia corporaliq; affectione animi turbulenter exagitante longissimè cogitationes abducat suas; cœlesti lumine citra ullam satietatem largiter hausto, puro, neq; umbrâ ullâ prepedito mentis oculos divinas undiq; contemplatur. Is autem ubi ad hujusmodi habitum statumq; hoc modo animum suum jugi exercitio deduxerit; Deo, quatenus Dei similitudinem mortalis potest attingere, similis efficitur, ab eoz summe diligitur.

182. Alia media sunt necessaria ad instruendum, illuminandum, & implendum intellectum nostrum cognitione sive notitiâ Dei summi Boni, & Divinarum illius perfectionum, propter quas amabilis existit; voluntas enim, cujus est amare, non fertur in incognitum, juxta illud tritum: nihil volitum quin præcogni-

tum. Et: *Ignoti nulla cupido*; adeoq; ut voluntas possit amare Deum propter suam Bonitatem; debet intellectus prius cognoscere eam Bonitatem; tantoque major, vehementior & intensior erit amor, quanto major & perfectior fuerit cognitio Bonitatis. Acquiritur autem hæc cognitio & notitia Dei summi Boni per lectionem piorum librorum, colloquia spiritualia, meditationem &c. De quibus suo loco.

## §. 12.

*De primo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est Humilitas.*

189. **F**undamentum internæ pacis, quietis, & tranquillitatis, ac consequenter totius perfectionis est *Humilitas*. *Cogitas magnam Fabricam construere celsitudinis; de fundamento prius cogita Humilitatis*; inquit S. Augustinus *serm. 10. de verb. Dom.* Et S. Cyprianus *serm. de Nativit. Domini*. *Hic est primus Religionis introitus; sicut in mundum primus Christi ingressus; & quicumq; piè vult vivere, humiliter de se sentiat. Fundamentum sanctitatis fuit semper Humilitas*. Undè S. Basilius *serm. de obdicat.* monet Monachum tyronem, ut studiosè operam det, quatenus *omnium novissimus sit, ac servus omnium*; firmiterque credat, se *omnium, quotquot sunt, mortalium esse contemptissimum, peccatisq; onustissimum, peregrinum, ac vagum; & quem solâ tantum misericordiâ adducti u,* qui  
prio.

priores illo se à saeculi huius curis avocarunt, sibi in societatem asciverint. Quod bene notandum contra Juniorum quorundam in cœnobiis superbiam; de quibus S. Ephrem tract. de correctione eorum, qui honores petunt: licet Monachorum instituta & Juniorum presertim videre, atq; admirari: nondum mundo renuntiârunt; & jam superbiam tument. Nondum disciplinam audiverunt; & jam se Magistros profitentur. Nondum primum gradum ascenderunt; & volitant super nubes &c. verum quid singula persequar? Non est, qui propter Deum mundo renuntiet, ut obediendo se ipsum Fratribus servum exhibeat. Vix tertius est dies, ex quo mundo renuntiârunt; & cum illis, qui in Habitu consenuere, contendunt, nec volunt in ordinem redigi, aut cuiquam obtemperare; sed excusationes excogitant; & nè corpus fatigent, aliis alium respicit. Subiit Obedientia jugum; & vult imperare, irascitur, si admonetur. Hoc facito Frater: non faciam, respondet, nisi & ille veniat. Frater quiescit: & ego quiescere debeo. Frater ad Honores provectus est: cur non ego? nonnè ego quoq; hoc atq; illo dignus sum munere? Hæc sunt egregia Juniorum opera. Et infra: Nos cum vix Habitum induerimus, insolentissimus, & unus adversus alium extollimur, & vicissim insultamus, & apud nos ipsos prudentes sumus. Omnes Duces esse volumus, omnes præesse, omnes reprehendere, omnes præcipere, omnes docere, omnes interpretari, omnes esse Doctores, omnes Domini, omnes procuratores, omnes patres familias, omnes primi. Quæso Fratres, nè vitam

Z 5      nostram

nostram in hac vanitate traducamus. Non est bona gloriatio nostra. Neque auctoritate, mihi crede, neque Magistratu, neque amplitudine, neque quod primus aut secundus, aut prefectus appelleris, neque quod sis in ullo honoris aut dignitatis gradu constitutus, propterea fiet, ut in Regnum caelorum ingrediaris: Hac enim non tribuunt remissionem peccatorum, non liberant a supplicio, nisi adsit Humilitas, & Obedientia, & Charitas, & patientia, atque constantia. Neque enim probari, aut salutem assequi possumus, nisi omnibus in rebus Dominum imitemur; Qui, non veni, inquit, ut mihi ministraretur, sed ut ministrarem. Et rursum: Non veni, ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.

190. Humilitas igitur in Novitiis & Tyronibus ponenda est pro fundamento, primo quia sine virtute Humilitatis non possunt acquiri & obtineri aliae virtutes, quas ut necessaria ad perfectionem media Statui Religioso annexuit Ecclesia. Nam superbus & virtute Humilitatis destitutus non potest obtinere *paupertatem Spiritus*: cum dedignetur Fratribus servire, vilia & contemptibilia munia obire, vestibus vilibus indui, pati defectum in victu, strato &c. Neque potest *virtutem castitatis* possidere, utpote speciale Dei donum; de quo dicitur *Matth. 19. Non omnes capiunt verbum istud; sed quibus datum est. Et Sapient. 8. Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Quod autem tam speciale donum non soleat Deus superbis dare, patet ex illo *Jacob. 4. Deus superbis resistit; humili-*

*milibus autem dat gratiam. Et Proverb. 16. Abominatio Domini est omnis arrogans. Neque etiam superbus potest obtinere virtutem Obedientie; quia non potest proprium suum iudicium abdicare, intellectum captivare, & Superioris iudicio se submittere. Præterea non potest habere charitatē proximi; nam inter superbos semper jurgia sunt. Proverb. 13. Et amando quisq̄ excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaquentur; vel inferioribus, nè sibi coaquentur; vel superioribus; quod eis non coaquetur; ut inquit S. Augustinus lib. 11. super Genes. ad lit.*

Secundo quia sine Humilitate non potest acquiri quies interna; pax, & tranquillitas animi; solus enim Humilis est quietus, pacatus, sedatus, & tranquillus in animo. Undè Christus Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.* Superbus autem perpetuis concutitur & exagitur motibus indignationis, tristitiæ, impatientiæ &c. modo contra Superiores, à quibus humiliatur, corrigitur, reprehenditur, & mulctatur: modo contra æquales, & inferiores; à quibus se despici, aut saltem non satis juxta suam excellentiam imaginariam suspici & æstimari putat. Consideres quoq̄ velim, inquit Alphonsus Rodericus part. 2. *Exercit. Perfect. tract. 1. c. 10. n. 7. Quanto perturbationum, pœnarum, & inquietudinū astu jactandus sit superbus, cum se jam velut in angulum retrusum, præteritum, ac neglectum videbit, nullam sui rationem haberi, nulla sibi speciosa, honorifica, magniq̄ nominis negotia,*

negotia, muniavē, prout ipse quidem desiderabat boncredi. Et tract. 3. c. 22. Qui plenus est superbia, ambitione, & laudum humanarum appetentiā, videtq; sibi non omnia ad votum succedere; fieri non potest, quin felle amaritudinis cor repletum habiturus sit, magnaq; interius inquiete & animi aegritudine torquendus, cum nimirum alios magni fieri, honorari, sibiq; preferri videbit. Eiusmodi nugarum vel unica satis est ad superbos homines inquietandos, & turbandos, atq; perpetuā in animi aegritudine ac dolore vitam trahant. Unde tamen si verē morbus aliquis sit, quem Melancholici humoris abundantia generet; sapē tamen quod quis Melancholicus aut tristis incedat, non tam ex humore Melancholiae, aut infirmitate aliquā corporali, quā humore superbiae provenit. Tristaris & Melancholicus es, quod prae teritum te & abjectum, nullamq; tui rationem habitam putes; & quod, unde honorem & gloriam relaturum te sperabas, inde tantum abest, ut eum retuleris, ut confusionem potius & ignominiam collegeris. Non successit tibi res aliqua ex voto, non Concio, non in publicis disputationibus argumentatio, non Thesium propositarum defensio, prout optabas & sperabas; imo multum in eis de honore tuo te perdidisse existimas; atq; ideo tristis & Melancholicus incedis. Hac scilicet sunt, quae superbum tristitiā & Melancholiā replent. At Humilis corde, qui honorem & estimationem aliorum flocci facit, & humilem in locum retrudi gaudet, ab huiusmodi angoribus, inquietudinibus, perturbationibus liber est, magnāq; animi pace

pace, & quiete gaudet, juxta Domini Jesu promissum: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.*

Tertiò Humilitas Novitiis necessaria est ex eo capite, quod cum pleni adhuc sint vitiis, defectibus, & imperfectionibus; nec habeant rerum spiritualium notitiam; indigeant frequenti instructione, correctione, reprehensione &c. Superbus autem dedignatur instrui; non vult videri errasse in aliquo; non sustinet corrigi; multo minus reprehendi, & mulctari: *Sed si illum admones: admone, inquit, te ipsum: De me erit, quod placuerit Deo. Si quid eum docere vis: utinam, inquit, istud scires, quemadmodum ego;* uti advertit S. Ephrem de Obedient. Imò videre est superbos Novitios, qui Regulam, constitutiones, laudabiles consuetudines, ac praxes in Ordine receptas & approbatas non verentur carpere & vituperare; suos etiam Superiores, & eos, qui multis jam annis in Religione vixerunt, judicare, reprehendere, sugillare, & contemnere; prout sæpè experientia docuit; & deplorat S. Ephrem supra tract. de correct. eorum, qui honores petunt: *Nondum primam disciplina vocem auribus perceperunt; & jam veluti Magistri alios objurgant: nondum in fratrum sodalitiis aggregati sunt; & jam sibi auctoritatem usurpant: nondum portas Monasterii ingressi sunt; & jam alios reprehendunt, molestant, condemnant &c.*

191. Definitur autem Humilitas à S. Bernardo tract. de 12. grad. Humilit. quod sit virtus, quâ

*quã quis verissimã sui cognitione sibi ipsi vilescit.*  
 Dicitur primò: *Verissimã sui cognitione;* quibus  
 verbis significatur primus Humilitatis actus, te-  
 nens se ex parte *intellectus;* quo nostram fragi-  
 litatem, vilitatem, & nihilum tam naturale &  
 physicum, quàm morale agnoscimus. Et quidem  
 si nostrum *esse naturale* spectemus, nullam pror-  
 sùs superbiendi causam inueniemus; plures au-  
 tem rationes deprehendemus, nos ipsos humi-  
 liandi, deprimendi, & infra omnes abjiciendi:  
*Si diligenter consideres, quid per os, nares, cæte-  
 rosq; corporis meatus egrediatur; vilis homine  
 sterquilinum nunquam vidisti;* inquit S. Bern-  
 ardus c. 3. *Meditat* Et Innocentius Papa III.  
 lib. 1. *de contemptu mundi* c. 8. *Herbas & arbo-  
 res investiga: illa de se producunt flores, & fron-  
 des, & fructus: Et tu de te lentes, & pediculos,  
 & lumbricos. Illa de se fundunt oleum, vinum, &  
 balsamum: & tu de te sputum, urinam, & stercus.*  
*Illã de se spirant suavitatẽ odoris: & tu te de reddis  
 abominationem factoris.* S. Job illiustri stemmate  
 natus, generis sui nobilitatem describit: c. 7. his  
 verbis: *putredini dixi: pater meus es; mater mea  
 & soror mea vermibus.* Maximus ille totius Ju-  
 daicæ gentis Patriarcha Abrahamus, à quo om-  
 nes populi Israelitici, Duces, Principes, & Re-  
 ges descenderunt, de se ipso fatetur, quod sit  
 pulvis & cinis, *Genes. 18.* Et Ecclesiasticus c. 10.  
 Reges quoscunq; inclamans, ait: *Quid su-  
 perbit terra & cinis? Rex hodie est, & cras mo-  
 rietur. Cum enim morietur homo; hereditabit  
 serpentes, & bestias, & vermes.* Quod si de esse  
 nostro

nostro & posse morali loquamur; ipsa peccata nostra & lapsus quotidiani, defectus & imperfectiones satis testantur, & nos convincunt, quod nihil ex nobis ipsis Boni præstare possimus. Clamat id etiam contra nos infallibilis veritas Christus Joann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus Rom. 9. *Non volentis, neq̄ currentis, sed miserentis est Dei* Item 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Dicitur secundo in definitione: *sibi ipsa vilescit.* Per quod significatur alter primarius actus Humilitatis, tenens se ex parte voluntatis; quo efficaciter volumus & desideramus, ut alii quoque homines cognoscant, quod simus fragiles, viles, contemptibiles, nullo honore digni; & ut tales nos habeant, ac reipsa nos vilipendant, postponant, despiciant, vituperent &c. *Humilitas duplex est,* inquit S. Bernardus *serm. 4. de Adventu.* *Altera cognitionis; altera affectionis.* *Priore cognoscimus quod nihil sumus; & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria.* *Posteriore calcamus gloriam mundi: & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; qui etiam quasitus in Regnum, fugit; quasitus ad tanta probra & ignominiosissimum supplicium crucis, spontè obtulit semetipsum.*

192. Porro ex his duobus primariis Humilitatis actibus, plures alii magis particulares & practici derivantur; ex quibus tamen hic solos illos adferemus, qui ad *incipientes* sive Novitios  
& Ty;

& Tyrones pertinent. *Primus* est, ut Novitius, etiamsi fortassis in sæculo fuerit Doctus, prudens, peritus, & sapiens habitus, ac revera etiam magnam habuerit in rebus sæcularibus scientiam, dexteritatem, & experientiam; nihilominus in spiritualibus agnoscat & habeat se pro ignorante, idiota, imperito, & cæco, qui opus habeat ductore & directore, dicatque cum Propheta Regio: *ut jumentum factus sum apud te. Nemo se seducat* inquit Apostolus I. Corinth. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo; Stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Et Galat. 6. Si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Inter alias causas, cur adultiores difficulter suscipiantur ad Monasteria, non postrema est hæc, quod propter scientiam & prudentiam, quam in sæculo se acquisivisse existimant, non ita sint docibiles, & prompti atque idonei ad doctrinam spirituales in Ordine Religioso acceptandam: cum enim sibi ipsis videantur satis prudentes; non libenter Magistri spiritualis instructionem admittunt, imò frequenter eam despiciunt, adeoque ineptos & inhabiles se reddunt ad hauriendam salutarem doctrinam. Sicut Proverb. 26. dicitur: *vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habet insipiens.* Unde S. Paulus Rom. 12. *Dico omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Et Proverb. 3. dicitur: *Nè sis sapiens apud te ipsum.* Quis unquam in terris sapientior extitit, quam ipsa

ipsa Dei Sapientia? Et tamen *Luc. 2.* legitur:  
*invenerunt in templo sedentem in medio Docto-*  
*rum, audientem illos, & interrogantem eos.*

193. Secundus actus est, ut Novitius, qui in  
 sæculo fortè claruit honoribus, divitiis, gene-  
 ris splendore & nobilitate; non propterea  
 quærat in Religione honorari, aliis præferri,  
 melius haberi &c. Neque ipse aliquem licet  
 humili loco & pauperibus parentibus nactum  
 despiciat aut alloquium & conversationem de-  
 dignetur; non etiam de suis divitiis, parenti-  
 bus, amicis, honoribus in sæculo relictis se ja-  
 cter & gloriatur. *Cave, nè generis nobilitate sub-*  
*nitare,* inquit S. Basilius *serm. de Abdicat.* *Ne-*  
*vè ob eam causam honores consecere; non in-*  
*strato molliculo, non in calceamentis, vestimen-*  
*tisvè, non in habitu quovis, non in aliis quàm*  
*quas communis fratrum usus fert, escis exqui-*  
*rendis, non in mensâ, non in statu, non in sessio-*  
*ne, non in manuum opere minus laborioso, ma-*  
*gisvè eleganti.* Et S. Augustinus in *Regula:* *Illi,*  
*qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habe-*  
*ant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam*  
*societatem ex paupertate venerunt. Magis au-*  
*tem studeant, non de parentum Divitum digni-*  
*tate, sed de pauperum Fratrum societate gloria-*  
*ri.* Nam Christus Dei Filius in assumptione  
 discipulorum ad collegium Apostolicum non  
 habuit respectum vel reflexionem ad generis  
 nobilitatem, aut ad Divitias, & honores; sed  
 elegit *Piscatores Matth. 4.* Undè Apostolus *1.*  
*Corinth. 1.* *Videte vocationem vestram; quia*

*non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus; ut non gloriatur omnis caro.*

194. Tertius actus Humilitatis summè necessarius Novitiis est, ut animo lubenti & grato suscipiant correctionem suorum defectuum moralium & naturalium, sive ea correctio fiat à superiore & Magistro, sive ab aliquo æquali, Cum enim *proprium* eorum *officium* sit, depone-  
re pristinam conversationem, & exuere veterem hominem cum actibus suis, omniaque vitia radicata & inveteratas consuetudines extirpare, ac novam insuetamque vitæ rationem instituere, non poterunt hunc finem suum obtinere, nisi vigilantissimum actionum & morum suorum inspectorem habeant, qui ipsos frequenter ac ferè quotidie corripiat, reprehendat, & quandoque etiam puniat. Hæc autem correctio & reprehensio vix illum affectum bonum & fructum obtinebit, nisi lubenti animo & gratanter accipiatur; sicut videre est in illis, qui contra correctores suos murmurant, & beneficium seu opus bonum misericordiæ spiritualis interpretantur & vocant odium, rancorem, aversionem, persecutionem, &c. Undè S. Basiliius in *Regul. fus. c. 52.* ait, eorum, quibus corrigendo medicina fit, officium esse, *Antistitis in se animadversiones non ad odium accipere, neque impotentem dominationem existimare curatio-  
nem eam, quam misericordiâ quis adductus, consulendi causâ animæ ipsorum salutæ ipsis adhibuit.*  
Esset

Esset enim à decoro abhorrens, si, qui adversà corporis valetudine laborant, ii usq; adeò magnam Medicis suis fidem habeant, ut, esto ipsos fecent, esto urant, esto amarissimis medicamentis medentur, nihilominus tamen inter bene meritos de se illos numerent; Nos non itidem quoq; adversus animarum nostrarum medicos, qui quandoq; duviorè imponendâ nobis re aliquâ salutem nobis efficiunt, fuerimus animati. Sacra Scriptura inflatos & superbos ejusmodi homines, qui correctionem admittere nolunt, vocat stultos & insipientes; quia omnis superbus est stultus; & rarò invenire est stultum aliquem, qui non sit in aliquo saltem genere superbus. Qui odit increpationes, insipiens est; inquit Spiritus Sanctus Proverb. 12. & Proverb. 17. plus proficis correptione apud prudentem, quàm centum plaga apud Stultum. Item Proverb. 18. Non recipit Stultus verba prudentiæ. Et Proverb. 15. Non amat pestilens eum, qui se corripit. Pulchrè S. Chrylostomus Homil. 9. de Laudibus S. Pauli: sicut insipiens est, qui pharmaca rejicit; ita & stultus est, qui non suscipit grato animo reprehensiones. Atqui non rarò multi exasperantur, & intra seipsos cogitant & dicunt: sapiens ego, & tantâ præditus intelligentiâ hunc ferrem? ignorant autem, quod hoc extrema dementiæ sit indicium: videbam, inquit Scriptura, hominem, qui sibi videbatur sapiens; & majorem illo spem habet insipiens. Nam licet mirum in modum sapiens sis: attamen homo es, & consiliario tibi opus est; solius enim Dei est, nullius indigere, & opus habere consiliario. Adfert

verò hanc in rem exemplum Moyſis, qui tantus Propheta & populi Iſraëlitici Dux, non dedignatus eſt corrigi à ſocero ſuo, homine barbaro & infideli. *Exodi 18.* additque: *Etiamſi ingenii acrimoniã antecellas alios, ſiſq; valdè perfectus, perveneriſq; ad ſummum ipſius virtutis faſtigium; opus eſt tibi conſilario aliquo, qui te corrigat & arguat. Audi Hiſtoriam veterem: neq; enim Moyſi facilè par fueris, qui, ut ſcriptura inquit, omnium hominum erat miſiſſimus, amicusq; Dei, & in externã philoſophiã benè inſtitutus, & non minùs ſpiritualium intelligentiã inſignis; ſocer autem ejus homo barbarus & obſcurus &c.* Aliud exemplum è novo Teſtamento adducit S. Auguſtinus. *Epist. 19.* ad Hieronymum de S. Petro, omnium Apoſtolorum principe & totius Eccleſiæ Chriſti paſtore; qui publicam correptionem & reprehentionem ſatis acerbam, atque cum publica confuſione conjunctam ſuſtinuit humiliter & patienter *Galat. 2.* Ipſe Petrus, inquit Auguſtinus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſanctã ac benignã pietate Humilitatis accepit, atque ita rariùs & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi. Si igitur tales ac tanti viri grato & humili animo correctionem ſuorum defectuum admiſerunt; ſumma certè cœcitas & ſtultitia foret, ſi Novitiuſ & Tyro nollet corrigi & reprehendi.

195. Quartuſ actus Humilitatis eſt, ut libenter

ter in capitulo confundamur coram aliis, & publicam confusionem à Superiore nobis factam pro beneficio & magnâ benevolentia accipiamus; etiam si fortè innocentes & absque culpa simus; quemadmodum Monachus ille apud Joannem Climacum *Grad. 4.* Macedonius nomine, quem *Abbas amovit, atq; in ultimo incipientium ordine constituit*, eò quod serius ex itinere ad Monasterium rediisset, non solum *sucepit sine mœrore patris sententiam, ut quasi non ipse, sed alius videretur increpatus; sed etiam post 40. dies ad pristinum gradum restitutus, rogavit Abbatem, ut se in eadem ignominia humilitate restituat.* Quantam enim vim habeat hæc publica confusio & mutatio ad retundendam in nobis & supprimendam latentem superbiam, refert idem Climacus loco citato de eodem Abbate, dicens: *si quos fortè Pater sanctus ostentationi studere denotasset, hæc eos arte curabat; contumelias illos in conspectu adventantium afficiebat; quo illi increpationis genere sanabantur.* Undè ipse subdit: *Beatus, qui propter Deum quotidie maledictis & convitiis laceffitus, sibi vim fecerit: Hic enim cum Martyribus tripudiabit. Beatus Monachus, qui seipsum omni ignominia omniq; abiectione dignum horis singulis existimat.* Ut verò Superior ansam ut causam majorem habeat, nos frequenter publicè confundendi, Idem Climacus jubet, ut in capitulo culparum errata nostra fideliter aperiamus: *Noli, ô fili, spiritu elationis decipi, neq; peccata tua, veluti ex personâ alterius, magistro denuncies. Aperi,*

denuda, detege medico vulnus tuum. Dic, age, meum vulnus est, pater, mea plaga; cuius mihi causa fuit non alterius, sed mea negligentia. Esto, dum confiteris, habitu, specie, cogitatione ut condemnatus reus, dimissis in terram luminibus. Si, cum jugiter à patre objurgaris, ampliozem in eum Fidem & charitatem assumis; habitat in animâ tuâ Spiritus Sanctus invisibiliter. Is, qui ad placidissimam animi quietem, atq; ad Deum currit; die omni, quâ maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur. Bibe summâ alacritate objurgationes ac irrisiones, à quovis homine tibi propinatas, non aliter quàm aquam vitæ: potare enim te quarit salubri potione. Denique recitat doctrinam senis cujusdam habentis gratiam discretionis, qui Juveni ad Statum Religiosum aspiranti dixit: Si fieri potest, eum exercitationis tue in Domino ducem ac Magistrum quare, quo in omnium mortalium naturâ nullus sit asperior aut gravior; sub quo perseverans jugiter, objurgationes & irrisiones quotidie ut mel & lac bibe.

126. Quintus actus Humilitatis est, ut Superioribus nostris syncerè manifestemus tentationes nostras quotidianas, atque etiam consuetudines vitiosas, & malas naturæ nostræ inclinationes seu propensiones. Nam sicut latens in nobis superbia, ut bonam apud Superiores conservemus existimationem, & aliquem consequamur honoris gradum, vel promotionem ad Officia, solet omni studio celare & abscondere defectus nostros & lapsus, vel etiam tentationes  
& in-

& inclinationes ad lapsum : ita vicissim Humilitas eosdem defectus , tentationes & propensiones libenter superioribus aperit ; ut falsam de se existimationem , & ad honores sibi indebitos , officiaque splendida promotionem estugiat Unde Joannes Cassianus *lib. 4. institut. c. 39.* inter officia Humilitatis ponit , *si homo non solum actuum suorum , verum etiam cogitationum nihil suum celaverit Seniore.* Plura de sui ipsius coram Superiore circa statum internum manifestatione videri possunt supra de mediis superandi tentationes.

197. Actus sextus Humilitatis est , ut promptè & alacriter obeamus labores , munia & opera vilia , abjecta , contemptibilia ; fratribusque nostris libenter serviamus in necessitatibus etiam corporalibus ; quomodo Christus Dei Filius se humiliavit , & demisit usque ad lotionem pedum suorum discipulorum. *Joann. 13.* Unde S. Basilii *in constitut. Monast. c. 24.* *Intelligendum illud est , debere pietatis cultorem vilia etiam munera magno cum studio , magnaque cum animi alacritate suscipere ; scientem , nihil minutum esse , quod Dei causâ fiat. Si de muneribus iis , quæ abjectiora sunt , aliquid exercendum sit , scire convenit , Salvatorem quoque ipsum discipulis ministrasse , & abjectiora opera facere non recusasse ; magnumque homini esse , si Dei imitator existat ; cum per hæc , quæ humilia sunt , ad altitudinem illam , quod illum est imitatus , ascendat. Quamquam quis jam humile ausit quippiam appellare , quod Deus ipse attingere non recusavit. Et serm. 1.*

de institut. Monachor. Quæ necessario in communi conventu tractanda ministeria sunt; ea mutatis in orbem vicibus circumaguntor: ut Humilitatis merces communis sit. Item serm. de Abdicat. Assignato tibi ministerio cum modestiâ fungitor, sedulitateq; perinde ac si Christo ipsi ministrares; esto, quæ tibi præ manibus sunt ministeria, contempta admodum abjectaq; videantur. Magna res est alteri ministrare.

198 Septimus Humilitatis actus est, ut in nostris actionibus, exercitiis & functionibus sive corporalibus sive spiritualibus, atque etiam in mortificationibus & quibuscunque modis fugiamus singularitatem, & communi ac ordinariæ in omnibus viæ & rationi vivendi insistamus, quam tenent & sequuntur alii prudentes & timoratae conscientia homines ejusdem professionis & Institut. Singularitas enim à S. Bernardo tract. de grad. Humilit. numeratur inter effectus superbiæ; & vera humilitas exigit, ut Religiosus nihil agat, nihil presumat, ad quod non vel communis regula, vel majorum cohorrentur exempla; ut inquit Cassianus lib 4. Institut. c. 39. Est autem multiplex singularitas, quam evitare debemus; prima est, cum quis in victu, vestitu, incessu, strato, sermone & modo loquendi quærit esse singularis, & habere aliquid peculiare. Cõtra quam singularitatem monet nos S. Basilius serm. de Abdicat. Ne eorum quippiam, quæ verã jam pridem consuetudine inveteraverint, adulterare ac pervertere presumamus; non in strato, non in calceamentis, vestimentisvè, non in Habitu  
quo-

quovis non in aliis, quam communis Fratrum usus fert, escis exquirendis, non in mensa, non in statu, non in sessione &c. S. Joannes Climacus etiam Grad. 4. ait: *Esse fratribus tuis per omnia similis; neque per elationem dissimilis.* Secunda singularitas est, cum quis in suis exercitiis spiritualibus v. g. in modo orandi, cantandi &c. non se conformat cæteris; sed vult alios contra Regulam & constitutiones, vel contra morem hætenus laudabiliter observatum inducere, ut ipsum sequantur, & se illi conforment. Contra quam idem S. Basilius in *constitut. Monast. c. 27.* hortatur dicens: *Convenit, ut qui in spiritualem societatem adlectus sit, nequaquam illos ad morem suum velit detorquere; sed contra ipse morem suum debet aliorum Fratrum moribus institutusque conformare.* Tertia & apud Novitios non infrequens singularitas est, cum quis peculiarem & singularem observat modum jejunandi, vigilandi; aliasque extraordinarias mortificationes usurpat; puta, cum quis legit in vitis Patrum, quomodo aliqui eorum pluribus diebus abstinerint ab omni cibo, aut nihil coctum admiserint, totis noctibus vigilaverint, &c. & contra morem ac praxin sui Ordinis velit talem vitæ rigorem sequi. Quæ utique periculosa & damnoza est singularitas, destruens vires necessarias & sanitatem corporis; operumque ordinariorum & functionum præscriptarum executionem, debitam impediens. Propter quod SS. Patres statuerunt, ut tyro nihil extraordinarium, quantumvis valde bonum videatur, sine scitu & consensu

sensu sui Magistri spiritualis agat; ita ut non modo à rebus flagitiosis ex ejus consilio absteineat; sed etiam nè ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum perpesio, vigilia, labor &c. suam quidem habent commendationem: at si quis propriæ obsequens voluntati spreto consilio Antistitis sui id facere voluerit, quidquid ipsi collibitum sit, hic plus erit quod faciet mali, quàm quod boni; inquit S. Basilius serm. 2. de institut. Monachor. Quod idem dicendum de privatis & peculiaribus quorundam devotionibus, quæ in statu & vocatione tali non possunt observari sine perturbatione & neglectu operum ordinariorum præscriptorum; prout videmus in quibusdam, quod magis solliciti sint & accurati in præstandis confraternitatum (quibus ante susceptionem Status Religiosi fuerunt adscripti) operibus & exercitiis; quàm in ritè obsequendis functionibus suæ vocationis; putentque, se plus lucrari osculando unum numisma, quàm frequentando Chorum cum suis fratribus, & cum iis Deum pariter laudando. Dixi autem supra, insistendum esse *communi viae, quam tenent alii viri timorati illius status*: nam si in congregatione aliquâ Religiosâ major pars tenderet ad laxitatem, & vilipensionem Regulæ vel statutorum, ad morum dissolutionem & disciplinæ Monasticæ conculcationem; tunc utique laudabilis foret singularitas paucorum aliquorum, qui neglectâ peccantium multitudine firmi & constantes insisterent Regulæ & constitutionum

num exactæ observationi ; sicut monet S. Hieronymus *Epist. ad Rusticum Monachum*, dicens : *Nè peccantium ducaris multitudine ; nec te pereuntium turba sollicitet. Sed tu tibi attende ; nequaquam considerans , quid alii mali faciant , sed quid boni tu facere debeas. Et S. Basiliius *serm. de Abdicat. Eorum, quos rectè atq; ex virtute videris vivere, amulator esto : & institutorum vitæ actionumq; exempla descripta in animum tuum transferto. Opta, ut sis denumero paucorum : rara siquidem, quæ bona. Cave putres, eos omnes fieri salvos, qui se intra cellas suas contineant : neq; enim ita res habet : quandoquidem sunt multi, qui ad honesta vitæ genus se conferunt ; rarissimi autem, qui ipsius jugum suscipiant.**

199. Octavus, qui Novitiorum præ cæteris debet esse proprius & peculiaris, consistit in eo, ut non sint garruli & loquaces ; maximè coram Senioribus ; sicut jubet Scriptura *Eccli. 5. sint pauci sermones tui. Et Eccli. 32. Audi tacens : & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tuâ causâ vix, sibi interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius ; & audi tacens. Superbus enim & inflatus, qui in oculis suis prudens est, ut talis etiam ab aliis habeatur, verborum ac sententiarum in multiloquio copiâ ac varietate conatur prodere auditoribus prudentiam suam ; sicut videre est in amicis Job, maximè in Eliu. c. 32. Qui diutiùs se continere non valens, in hæc verba tumoris plena prorupit. Respondebo & ego partem*

partem meam, & ostendam scientiam meam  
 plenus enim sum sermonibus; & coarctat me spi-  
 ritus uteri mei &c. Econtrà verus humilis non  
 tantum verbis & sermonibus magnificare se re-  
 fugit, juxta illud Tob. 4. *Superbiam nunquam  
 in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permit-  
 tas.* Et Proverb. 27. *Laudet te alienus, & non  
 ost tuum, extraneus, & non labia tua.* Item illud  
 S. Bernardi in *Specul. Monachor.* *Loquens nihil  
 dicas, unde multum eruditus, multum vè religio-  
 sus possis putari.* Sed etiam tacendo abscondit &  
 occultat, unde possit aliis prudens, doctus, aut  
 peritus videri. Propter quod Joannes Climacus  
*Grad. 25* inter Humilitatis actus ponit *loquacita-  
 ti elongationem.* Et Cassianus *lib. 4. Institut. c. 39.*  
 ait: Signum animi humilis esse, *si quis Linguam  
 cohibeat.* Humilis igitur libenter in loquendo ce-  
 dit omnibus; nec alicujus sermonem interrumpit;  
 nec aliis suâ garrulitate spatium loquendi  
 adimit; nec alicujus sermonem tanquam minus  
 peritum carpit aut improbat; nec in loquendo  
 vocem extollit; non contendit verbis; non per-  
 tinaciter opinionem suam tuetur; & cum fortè  
 in loquendo erroris arguitur, non se defendit;  
 quia agnoscit, quod errare possit: *Nimis enim  
 perversè se ipsum amat, qui alios vult errare, ut  
 error suus lateat;* inquit S. Augustinus *Epist. 7.  
 ad Marcell.* Præterea nullam profitetur scien-  
 tiam aut notitiam quam non reipsâ habet; sed  
 in rebus; quarum peritiam non habet, igno-  
 rantiam suam candidè fatetur, sequens D. Augu-  
 stinum, qui nè incerta pro certis, aut falsâ pro  
 veris

veris venderet, respondit *in Epist. ad Hefychium*:  
*Mallem quidem eorum, quae à me quasivisti, ha-*  
*bere scientiam, quam ignorantiam; sed quia id*  
*nondum potui; magis eligo cautam ignorantiam*  
*confiteri, quam falsam scientiam profiteri.*

200. Nonus denique Humilitatis actus ad  
 Novitium spectans est, ut libenter in Ecclesia,  
 refectioe, vel in alio quocunq̄e confessu plu-  
 rium, teneat postremum & ultimum locum,  
 sitq̄e omnium novissimus; etiamsi in saeculo for-  
 te extiterit primus; secutus in hoc exemplum  
 Filii Dei, de quo Isaias c. 53. *vidimus eum despe-*  
*ctum, & novissimum virorum; unde nec repu-*  
*tavimus eum.* Quamvis enim Religiosum  
 quemvis deceat, *novissimum locum praecipua-*  
*re,* ut inquit S. Basilius *in Regul. sus. interrogat.*

21. Nihilominus tyrones & juniores reliquis  
 cedere, ac postremo loco stare, vel sedere, aut in-  
 cedere debent: Quia *senes decet caeteros ante ire,*  
*tanquam qui diu multumq̄ Christo servierunt;* ut  
 inquit S. Ephrem *de Humilitat. acquirend. c. 79.*  
 Unde de Religiosis S. Pachonii scribit D. Hiero-  
 nymus *in praefat. Regulae: Quicumq̄ Monaste-*  
*rium primus ingreditur; primus sedet, primus*  
*ambulat, primus Psalmum dicit, primus in men-*  
*sâ manum extendit, prior in Ecclesia communicat,*  
 Et in Regulâ S. Benedicti c. 36. dicitur: *Omnes,*  
*uti convertuntur, ita sint; ut, qui secundâ horâ*  
*venit ad Monasterium, juniorem se noverit illo,*  
*qui primâ horâ venit diei, cujuslibet ætatis aut*  
*dignitatis sit.* Cum quo tamen non pugnat,  
 quod junior aliquis & tardius ad Deum conver-  
 sus

sus possit ferventi bonorum operum exercitio  
 ac serio ad perfectionem conatu longè præcur-  
 rere ac superare tepidum senem, qui mul-  
 tos in Religione annos exactos numerat: Nam  
 homines, qui tantum vident ea, quæ parent, ju-  
 dicare tantum solent juxta faciem rerum exter-  
 nam, & sicut ordinariè solet evenire: Deus au-  
 tem qui intuetur cor & internam animi confi-  
 tutionem, non attendit, *quamdiu*, sed *quam be-  
 nè*. Et in supputatione divinâ *senectus venera-  
 bilis est non diuturna, neq; annorum numero com-  
 putata; sed ætas senectutis est vita immaculata;*  
*Et sæpè consummatus in brevi explevit tempora  
 multa. Sapient. 4. sicut patet ex Matth. 20. ubi pa-  
 ter familias eos, novissimi fuerunt, & unâ horâ  
 tantum fecerunt opus, pares habuit & æquavit  
 illis, qui portaverunt pondus diei & æstus. Qua-  
 propter S. Hieronymus Epist. ad Paulinum de  
 institut. Monachor. scribit: Noli annorum nos  
 æstimare numero. Nè me idcirco meliorem putes,  
 quod prior in Christi exercitu cæperim militare.  
 Paulus Apostolus & vas electionis, de persecutore  
 mutatus, novissimus in ordine, primus in meri-  
 tis est. Non Hierosolymis bene vixisse laudan-  
 dum est.*

201. Porrò medium ad Humilitatem acqui-  
 rendam practicum & efficacissimum est Humi-  
 liatio quotidiana, quâ vel ipsi nos humiliamus,  
 exercendo & obeundo ministeria vilia, abjecta,  
 contemptibilia; eligendo locum inferiorem, u-  
 bi id commodè fieri potest; assumendo vestes vi-  
 liores &c. vel à Superioribus nostris humiliamur  
 per

per impositionem Obedientiarum despicabilem, & per correptiones, reprehensiones, multationes, depressiones, publicas confusiones &c. *Humiliatio enim via est ad humilitatem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis Humilitatis, viam non refugas Humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad Humilitatem provehi;* inquit S. Bernardus *Epist. 87.* Et Bonaventura *in spec. part. 2. c. 6.* *Quoniam ad Humilitatem humiliatio via est, non erubescant Religiosi humiliari; nec Humilitatis officia facile respiciant.* Item S. Joannes Climacus *grad. 25.* *Viam humilitatis atq; materiam corporales labores esse, sancti & semper memorandi Patres diffinierunt.* S. Dorotheus *serm. 2.* docet, humiliato corpore, humiliari & animam. Rationem dat *ibidem*: quia anima disponitur ab his, qua patrantur in corpore, sequiturq; habitum corporis: aliter enim disponitur v. g. anima insidentis in asino, aliter sedentis in throno; aliter optimis vestimentis induti, aliter pannoſi. Denique S. Augustinus *tract. 58.* *Cum ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius Humilitatis affectus.*

202. Gradus autem, per quos ad perfectam Humilitatem ascenditur, numerantur sex à Beato Laurentio Justiniano *tract. de Humilit. cap. 7. in ligno vite;* qui juxta Nicolaum Lancicium *opusc. spirit. 8. c. 3. n. 46.* videntur ordinatissimi. Primus gradus est, se peccatorem, vel contemptibilem esse agnoscere. Secundus, peccata sua cog-

nita

nita per confessionem Sacramentalem fideliter & syncerè aperire. *Tertius*, peccata & defectus suos sivè errata, quando sine scandalo fieri potest, extra confessionem Sacramentalem etiam manifestare, maximè coram Superiore, aut Patre spirituali ad consilium accipiendum, vel pro directione faciliori & securiori personæ suæ; aut etiam in capitulo culparum pro accipiendâ correctione & mulctatione. *Quartus* gradus est, velle toto affectu, ut ab omnibus credatur malû, quod de nobis ipsis sentimus, & narramus. *Quintus est*, desiderare, ut in ore hominum extincti simus, & à cunctis dicantur errata nostra, ac quidquid in nobis deprehenderint vitiosum. *Sextus* gradus est, toto conamine & magnitudine desiderii nostri esurire ac sitire Christi convitia; exultare in opprobriis, contumeliis, irrisionibus, & infamiis; abhorrere cuncta, quæ nos facere possunt commendabiles; fugere quidquid applaudit; & gratanter suscipere omne, quod abjectum est; ac nihil appetere, vel timere, quod foris est. Verùm ex his sex gradibus non pertinent nisi tres primi ad Novitios & Tyrones; uti supra vidimus; reliqui tres ultimi spectant ad *Proficientes*, de quibus suo loco.

203. Denique ut per recensitos Humilitatis gradus ascendamus alacrius, nec propter occurrentes difficultates absterreamur; movere & incitare nos debet præter illius necessitatem superius explicatam, maxima illius *utilitas* & fructus spiritualis. Nam primò Humilitas reddit nos insuperabiles, & omnibus Diaboli tenta-

tionij-

tionibus & infidiis superiores. *Nihil humilitate potentius, inquit S. Chrysostomus serm. 20. in c. 12. ad Roman. Sed & petrâ est fortior & Adamante solidior, & in majorem nos securitatem collocat, quàm queant vel turres, vel urbes, vel muri; omnibusq; Diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit.* Et Ephrem lib. de rectâ vivendi ratione c. 8. *Humilitatem diligit; & nunquam Diaboli caqueis capieris; velocissimis enim Humilitatis alis semper sublevatus, sublimor eris, quàm ut inimici retibus capi possis.* Item in paran. 46. *Humilitas murus firmus & inexpugnabilis est à facie inimici ac petra ex opposito percutiens atq; confringens machinas Sathanae, & tela nequissima ignea.* Unde cum Beatus Antonius tot laqueos Demonis orbi cuncto intensos cerneret, suspirans Dominum interrogavit, quis evasurus eos potissimum esset? ei responsum est: *Humilitas sola evadet hos laqueos; Neque eam contingere omnino poterunt; uti refert S. Dorotheus Doctrina 2. de Humilit.*

Secundò virtus Humilitatis speciales nobis à Deo gratias, dona, & favores impetrat: Deus enim superbis resistit; Humilibus autem dat gratiam Jacob. 4. Et 1. Petri 5. Undè Christus ad Patrem cœlestem ait Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terra; quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et de se ac sociis suis inquit Paulus 2. Corinth. 7. *Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* De Beatissima Virgine

Maria, quæ in *Cantico suo* ait: *Respexit humilitatem ancilla sua Luc. 1.* S. Augustinus exclamat *Serm. 2. de Assumpt.* *O vera Humilitas, quæ Deum hominibus peperit! facta est Maria Humilitas scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras.*

Tertiò Humilitas suos amatores & sectatores exaltat in futurâ & beatâ vitâ. *Quicumq; humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno cælorum; inquit Christus Matth. 18.* Et *Matth. 23.* *Qui se humiliaverit, exaltabitur.* Item S. Petrus *Epist. 1. c. 5.* *Humiliamini sub potenti manu Dei; ut vos exaltet in tempore visitationis.* Et S. Jacobus *c. 4.* *Humiliamini in conspectu Domini; & exaltabit vos.* De Christo Dei Filio ait S. Paulus *Philipp, 2.* *Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum.*

Alterum motivum, quod Novitios incitare debet ad contemptum, ludibria, reprehensiones, postpositionem, contumelias, & irrisiones, opprobria, confusiones, dicteria injuriosa, & quæcunq; adversa humiliter perferenda, est Humilitas Christi Jesu Filii Dei, quem relictis omnibus sequi proposuerunt. Quas enim contradictiones, opprobria, detractiones, convitia, reprehensiones, summorum & infimorum oblocutiones, sinistras interpretationes, irrisiones, & despectiones passus sit innocentissimus Dei Filius, etiã propter præclarissima & laudabilissima tum opera tum verba, refertissi-

mæ

mæ sunt omnium Evangelistarum historiae; ita  
 ut verissimè in ipso impleta prophetia *Isaiæ c. 53.*  
*Vidimus eum despectum, & novissimum viro-*  
*rum; nec reputavimus eum.* Tituli illius ordi-  
 narii, quibus à Summis Pontificibus, sacerdoti-  
 bus, scribis, Pharisæis, & omni magistratu affe-  
 ctus & honoratus fuit, non alii leguntur, quàm  
*seductor Matth. 27. & Joann. 7. Insanus. Joann.*  
*10. Dæmoniacus Marc. 3. Galilæus. Joann. 7.*  
*Blasphemus Matth. 26. Peccator. Joann. 9. Pec-*  
*catorum amicus, Homo vorax & potator vini.*  
*Matth. 11. violator legis. Joann. 9. Faber. Marc.*  
*6. Fabri Filius. Matth. 13. &c.* Ut nihil dicam de  
 contumeliis & injuriis, quæ in operibus & factis  
 consistebant. In quibus tamen omnibus sum-  
 mam Humilitatem ostendit; nam *cùm maledi-*  
*ceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non*  
*comminabatur: tradebat autem iudicanti se in-*  
*justè. 1. Petri 2.* Undè S. Bernardus *serm. de Na-*  
*tivitat. ait: Aut stultus fuit Dei Filius, dum se ad-*  
*eò exinanivit, atq; annihilavit, probrâq; ludibriâ*  
*& opprobria sibi elegit: aut certè stulti sumus nos,*  
*qui tam avidè gloriam & hominum laudes atq;*  
*existimationem aucupamur. Atqui stultitia in*  
*Dei Filio non fuit, nec esse potuit; etsi id esse mun-*  
*do videretur. Si ergò hæc ejus Humilitas summa*  
*fuit sapientia; nostra certè arrogantia mera est*  
*stultitia; & stulti sumus, dum tam sollicitè ho-*  
*minum opinionem, honoresq; aucupamur,*  
*tantique facimus.*

§. 13.

*De secundo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est virtus paupertatis.*

204. **F**undamento pacis internæ & quietis animi posito, progrediendum nunc est ad removenda alia impedimenta & obstacula, quæ pacatum & tranquillum animæ nostræ statum perturbant, atque ideò ejusdem cum Deo per charitatem unioni & adhæsiōni obsistunt. Inter quæ non postremum est *possessio bonorum temporalium* v. g. pecuniæ, domorum, vinearum, agrorum, pecorum &c. utpotè quæ innumerabiles parit curas, distractiones, sollicitudines, anxietates, & inquietudines; juxta illud Christi apud *Matth. c. 13. Sollicitudo seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum.* Et *1. Corinth. 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Propter quod Bona temporalia à Christo comparantur spinis. *Matth. 13. Quia cogitationum suarum punctiōibus mentem lacerant;* ut inquit S. Gregorius *homil. 15. in Evangel.* Et *Matth. 19. Christus illis, qui ad perfectionem aspirant, consulit, ut temporalium Bonorum possessionem à se abdicent, dicens: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Nam qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus;* ut inquit idem *Luc. 14. Perfecta li-*  
qui-

quidem renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum terrenarum, veluti possessionum; teste S. Basilio in Regul. fus. interrogat. 8. Qui proinde tyronem spiritualem hortatur *præfat. in Ascet. Age miles Christi! propositum tibi vitæ genus sit domo, civitateq., ac possessione rerum omnium carens. Solutus esto, atq. ab omnibus vitæ hujus curis liber. Et in Regul. fus. interrogat. 5. Ipsa quæ ex Evangelio est, pietatis cultura, studiumq. ineunda apud Deum gratia, in eo tota posita sunt; Si quis animû suum ab omnibus prorsus mundi hujus sollicitudinibus avocârit, seseq. funditus à quavis re, undè animo menteve distrahi possit, abduxerit. Item serm. 2. de Institut. Monachor. Qui colenda pietatis causâ ad solitariam vitam accedunt; omni rerum vitæ hujus materia exuti, genus vitæ, quod est secundum philosophiam, ingrediuntur: siquidem earum rerum, quæ sunt cum materiâ conjunctæ, sollicitudo procuratioq. magno-perè mentem atq. animum distrahunt.*

Hæc autem renunciatio, animi abductio & abstractio à curis & inquietudinibus temporalium possessionum contingit per virtutem Evangelicæ Paupertatis. De qua Christus Matth. 5. Beati Pauperes Spiritu. Qui enim proposuit Christo obedire, & ad vitæ genus rerum omnium possessione nudum, neq. ullis distractum sæculi curis festinat, verè admirabilis ille est beatusque dicendus; inquit S. Basilius serm. de Abdicat. Porrò consistit hæc Paupertas spiritûs in eo, quod quis non tantum omnia Bona temporalia relinquat, & exterius à se abdicet; nec

non futuris, quæ deinceps iusto titulo possidere posset, totaliter renuntiet; & per solenne votum Castitatis se omnis dominii, proprietatis, juris, & liberi usûs talium Bonorum prorsus incapacem reddat: sed insuper eadem interius animo & affectu relinquat, omnem erga illa cupiditatem & amorem deponat; quatenus Christum toto corde à rerum mundanarum affectu planè evacuato ac libero possit expeditius sequi. Tres siquidem Paupertatis latissimè acceptæ sunt gradus, à Novitiis & tyronibus superandi, antequam digni habeantur ad professionem & Ordinem proficientium admitti.

*Primus* & infimus (qui tamen vix nomē Evangelicæ Paupertatis meretur) est eorum, qui *exteriorius* quidem cū sæculo omnia reliquerunt; nihilominus interius corde & affectu illis adhuc adhærent, & perditè erga derelicta adhuc afficiuntur; solo corpore degentes in Monasterio; spiritu autem & animo versantes & circumvagantes in mundo; nō veri, sed ficti & larvati Religiosi. Quibus non immeritò accensebis illos, qui amplas quidem facultates & præpingues hæreditates aliquando propter Deum contempserunt & reliquerunt: verum postea in Religione pueriliter erga res quasdam minutas. v. g. erga librum, imaginem, vestem, cubiculum &c. afficiuntur, ita ut propter huiusmodi recularum subtractionem vel denegationem summoperè inquietentur, animo turbentur, angantur & contristantur. Cum enim primaria & principalis Evangelicæ Paupertatis ratio consistat in depo-

fitio-

fitione & extirpatione affectus erga res temporales, ut perfecta animi quies & tranquillitas obtineatur; tales autem Religiosi suum erga bona temporalia affectum & amorem nullatenus deposuerint, sed tantum illius objectum cum alio commutaverint, & cupiditatem magnarum possessionem in alias reculas, minutias, & pueriles nugas transtulerint; *pauperes spirituum* nullo modo dici possunt: nisi in alieno sensu per paupertatem spiritus intelligas carentiam spiritus religiosi. Unde Cassianus *Col. 4. c. 21.* ait, Religiosos hujusmodi esse dignos partim risu, partim commiseratione: visu quidem, quod ad pueritiã reversi, erga inanias & pueriles ineptias ita afficiantur, ut, si has fortè per Superiorem auferri illis contingat, aut denegari, non aliter turbentur & inquietentur, ac pueri solent turbari ac flere, quando pomum vel nuces, aliave infantilia illis auferuntur. Commiseratione verò digni sunt, quod post generosum amplissimarum facultatum & totius mundi contemptum, tandem naufragium virtutis, Paupertatis ejusque præmii in hujusmodi minutiis patiantur; sicut advertit S. Bernardus *Epist. 341.* dicens: *Nos Monachi miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientia; imò quid insanie est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? si mundum contemptissimus universum, si abrenunciaverimus affectibus propinquorum, si Monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos, si deniq; non veni-*

Bb 4

mu

non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra; quid non oportet fieri, nè forte contingat, hæc omnia nobis in insipientia nostrâ & negligentia deperire? Et Eusebius Emislenus homil. 4. ad Monachos: Ad professionem pertinet nostram, Paupertatem studio quarere, & non solum facultates, sed etiam ipsas cupiditates è cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdum res necessitatis est: nihil verò cupere, res virtutis. Hunc specialiter modum Religiosus sibi debet imponere, ut tantum habeat, quantum necessitas poscit, non quantum cupiditas concupiscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum refecetur, ardentior est in parvis, & plus torquet in minimis; & nisi ex corde pauper sis & affectu, paupertas ipsa non virtus, sed miseria iudicanda est. Et homil. 5. Non contenti sumus necessariis; sed rursùm per cordis teporem abundantiam, quam in seculo reliquimus, desideramus. Inde est, quod interdum de rebus parvissimis excitamur, & pro vilium rerum appetitu vilissimas contentiones movemus. Hoc quare? Quia licet reliquerimus in rebus exteriora bona, adhuc tamen in cordibus mala interiora retinemus. Et inter hæc quomoda exultat adversarius noster, quando nos videt ad hoc maxima contempsisse, ut in minimis vinceremur?

Secundus Evangelicæ Paupertatis gradus est eorum, qui omnia Bona temporalia reliquerunt non tantum exterius, sed etiam interiùs & affectu; quiq; simul deposuerunt omnem cupiditatem & amorem erga res superfluas & non necessarias:

sarias: interim tamen valde adhuc afficiuntur erga res hujus vitæ necessarias, ideoque studiosè procurant, nè quid sibi desit in necessario victu, vestitu, aut in strato, cubiculo &c. cupiuntque sibi in omnibus sufficienter prospectum. Si verò contingat ipsis deesse aliquid necessariorum, valde dolent, conqueruntur, ac sæpè etiam murmurant. De quibus S. Bernardus *serm. 4. de Adventu: sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit; & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* Et S. Vincentius *tract. de vita spirit. c. 1, pro dolor! multi de paupertatis solum nomine gloriantur, sed quo pacto? ut eis nihil desit. Dicunt se amicos Paupertatis; sed paupertatis sodales & amicos fugiunt suo posse, sitim, contemptum, despectionem.*

Tertius Paupertatis Evangelicæ gradus est eorum, qui ita deposuerunt omnem affectum & amorem erga res hujus vitæ necessarias, negliguntque corporis commoditates, ut æquo etiam animo & patienter perferant defectus occurrentes circa victum, vestitum, stratum &c. Neque exterius solum indignationem, vel impatientiam nullam verbo aut signo alio ostendant, si quid in cibo, potu, indumentis &c. desit; sed etiam in animo nullum vehementiorem propterea motum experiantur. Non tamen requiritur ad hunc gradum, ut quis *libenter* etiam & *gaudenter* hujusmodi defectus toleret; quia sustentia hæc gaudiosa perfectorum est; ad quam proinde coniti debent non *incipientes* & *Novitii*, sed *proficientes* & *professi*, ut ante Sacerdo-

Bb s cium

tium eò perveniant. Tyroni igitur & Novitio sufficit, si paupertatis ita fuerit studiosus, ut propter defectus in rebus necessariis occurrentes non murmuret exterius, neque in animo & apud se ipsum; non indignetur; non impatiens fiat; sed eos defectus æquanimiter & patienter ferat, respiciens ad paupertatem Christi Filii Dei, qui non habuit, ubi caput reclinaret *Matth. 8.* Quique propter defectum domus, & cunarum natus est in stabulo, reclinatusque in præsepio. *Luc. 2.* Undè S. Paulus, qui ad nos clamat: *imitatores mei estote; sicut & ego Christi. 1. Corinth. 11.* de se & coapostolis suis ait. *1. Corinth. 4.* *Usq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Et *2. Corinth. 11.* recenset, quomodo vixerit *in fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Docet enim S. Chrysostomus homil. de Laudibus Pauli, *eum sapere necessarium non habuisse cibum; nec quo se circumdaret, indumentum.*

205. Porrò quia ad Novitium pertinet, nõsse omnes obligationes, quas per solennem professionem sibi ipsi imponet, operæ pretium erit hic apponere verba Innocentii Papæ III. *in c. Cùm ad Monasterium. 6. de statu Monach. & Canonico. Regularium.* Ex quibus clarè colligitur, quanta sit obligatio voti Paupertatis in Religione editi. Sunt autem hæc: *prohibemus quoq; districtè in virtute Obedientie sub obtestatione divini Judicii; nè quis Monachorum proprium aliquo modo possideat; Sed si quis aliquid proprii totum in continentia resignet. Si verò post hoc*  
pro-

proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere; regulari monitione præviâ de Monasterio expellatur; nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum Monasticam disciplinam, quod si proprietates apud quempiam inventa fuerit in morte: ipsa cum eò in signum perditionis extra Monasterium in sterquilino subterretur; secundum quod Beatus Gregorius narrat in dialogo, se fecisse Similia ferè, magis tamen particularia habet Tridentinum. sess. 25. de Regular. c. 2. dum ait: Nemini Regularium tam virorum quàm mulierum liceat Bona immobilia, cujuscunq; qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conventuiq; incorporentur. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui Paupertatis, quam professi sunt, conveniat: nihilq; superflui in eâ sit. Ex quibus proinde Theologi & Canonistæ sequentes deducunt veritates:

*Prima* est, quod Religiosus professus non possit alienare quidpiam, & per contractum transferre rei alicujus dominium, aut proprietatem, aut quodcunq; jus in alterum, sine consensu sui Superioris; ita ut irritum ac nullius valoris, roboris, & firmitatis sit, quidquid contra voluntatem sui superioris attentaverit.

*Secunda* est, quod Religiosus ex iis rebus, quas de licentiâ sui Prælati ad suum suum tenet, cujusmodi sunt libri, vestes, aut alia utensilia, non possit quicquam absq; licentiâ dare com-  
modato,

modato, etiam ad breve tempus, alicui etiam domestico & confratri; quantumvis per commodatum non soleat transferri dominium rei commodatæ. Dixi: *absq; licentiâ*, scilicet expressâ, vel tacitâ; quia potest fortè alicubi concessa esse generalis & tacita facultas, alteri in eâdem familiâ & domo degenti ad breve tempus aliquid commodandi: quæ tamen ad extraneos nullatenus est extendenda, quia ad commodandum aliquid extraneis non sufficit licentia tacita, aut præsumpta; sed requiritur consensus Superioris expressus.

*Tertia est*, quod Religiosus non possit auctoritate propriâ & absque licentiâ sui Prælati accipere quicquam ab extraneis per donationem, mutuam commutationem, depositum, commodatum, aut alio quovis modo; etiamsi extraneus esset parens vel alius consanguineus. Undè *consequens est*, ut, etiam, cum quis suis filiis, aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnatur; inquit S. Augustinus in Reg. c. 8. Etc. 7. *Quicumq; autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit, si hoc ultra confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur atque convincitur; Secundum*  
arbitr.

arbitr.  
detur.

Quibus do  
strum  
sum n  
riore  
magn  
rate.  
clanc  
cibum  
vestia  
si non  
& con  
gul. b  
ci Ore  
Nulla  
auffer  
tia au  
conde  
sui ex  
com  
curat  
per r  
pare  
sed o  
suis  
quæ  
prop  
hoc  
illo  
la su

arbitrium presbyteri vel prapropiti gravius emendetur.

Quarta est, quod Religiosus non possit ex rebus domesticis v. g. esculentis, poculentis, instrumentis aliisve utensilibus ad communem usum non expositis usurpare aliquid invito superiore: alioquin furtum committet, parvum vel magnum, pro rei usurpatæ mensurâ & quantitate. Quæ doctrina bene notanda est pro iis, qui clanculo & sine licentiâ auferunt ex refectorio cibum aut potum, ex horto olera aut fructus, ex vestiario pannos, ex Bibliothecâ libros &c. *Quod si non petita veniâ aliquo usus fuerit; ut præsidentis & contumax judicator;* inquit S. Basilius in *Regul. brevior. interrogat. 145.* Et Statuta Canonici Ordinis Præmonstratensis. *dist. 1. c. 12. n. 36.* *Nullus cibum vel potum ex refectio[n]um reliquiis auferre, vel sibi reservare, vel etiam sine licentiâ alteri dare præsumat: alioqui furti iudicio condemnetur.* Quin & libros publico omnium usui expositos, aut quæcunque instrumenta ad communem fratrum utilitatem & bonum procurata ut in publico loco exposita nemo potest per notabile tempus ad se accipere, & ita usurpare, ut reliqui interim eorum usu priventur; sed debet ea quilibet post necessarium usum in suis locis per superiorem assignatis reponere: quæ enim communia sunt, nullus potest sibi appropriare, etiam quoad solum usum: cum per hoc alii priventur suo jure utendi, aut saltem in illo contra justitiam impediuntur.

Quinta est, quod Religiosus non possit in cellâ suâ, vel alibi privatim & sine licentiâ aliquid  
reti-

retinere, abscondere, & celare, eo scilicet fine, ut à Superiore non deprehendatur; undecumq; etiam illud acceperit. *Si aliquis rem sibi collatam celaverit; furti iudicio condemnatur;* inquit S. Augustinus in *Regul. c. 8. Furtum est enim privata possessio; societatis expilatio est rei cuiuscumq; & undecumq; in privatum usum servatio;* inquit S. Basilius in *Constit. Monast. c. 35. Quocirca omnimodo fugiendum nobis est, ne privatim quicquam omnino possideamus, præter ea, quæ promiscuè omnibus simul comparantur.* Passim in Religiosorum Chronicis invenire est, qualiter Deus huiusmodi proprietarios, qui res in speciem exiguas sibi compararunt clanculò, vel eas ab extraneis acceptas absconderunt, propterea temporali vel æternâ pœnâ multaverit. Videri potest S. Gregorius *lib. 9. Epist. c. 38. Boverius in Annalibus Capuccinor. 1569. 1572, item 1550.* ubi refert, quod Fratrem aliquem quinque rosaria, quæ clam comparata destinârat amicis, ad infernum detulerint.

*Sexta est, quod Religiosus ea, quæ cum licentia Superioris habet, non possit expendere in res vanas, inutiles, & superfluas, etiam cum permisso ipsius Superioris. Quia nec ipse Superior & Prælatus potest res Monasterii expendere ad usus vanos & non necessarios: ergò nec alteri potest ad hoc dare licentiam.*

*Septima est, quod Religiosus in conservatione rerum sibi ad usum per Superiorem concessarum teneatur adhibere eam diligentiam, munditiem, curam & sollicitudinem, quam impendere obli-*

gatur

gatur Commodatarius in re alienâ, quâ precario utitur. Undè si per Religiosi negligentiam aut incuriam pereat res ipsi concessa ad usum, vel deterioretur; peccat is non solum contra votum Paupertatis, sed etiam contra iustitiam. Id quod benè notandum circa libros, vestimenta, vasa, instrumenta &c. Quæ omnia servari & custodiri debent tanquam *sacri altaris paramenta*, & tanquam *sacrum peculium*; ut inquit Nebrius *Epist. 32. Antiquar. Monast.* aut *velut altaris vasa consecrata*; ut inquit S. Benedictus in *Reg. c. 21.* fideles enim, quando monasteria fundarunt & dotarunt; per hoc bona sua Deo dicare & consecrare voluerunt; sicut legitur in litteris & instrumentis fundationum; adeoque cuncta Monasteriorum Bona sunt Deo consecrata, & Dei peculium. Sicut expressè docet S. Basilius in *Regul. Brevior. interrog. 143.* cum enim quaesivisset: *quomodo qui opus faciunt, curam gerere debent instrumentorum, quæ sibi credita sunt?* respondet: *ut eorum, quæ consecrata & dedicata sint Deo.* Et *ibidem interrogat. 144.* ait, eum, qui re aliquâ abusus est, tanquam sacrilegum, qui verò amiserit, tanquam sacrilegii authorem esse judicandum; *cum omnia Domino sint dedicata, & Deo consecrata.* Item *interrogat. 153.* postquam proposuit, *cui lance credita sunt, quomodo eas debet habere?* respondet: *habebit ut creditum sibi depositum Dei.* B. Petrus Damianus in *Instit. sue cong. c. 18.* monet Religiosum: *libros ita custodiat, ut nunquam super litteras manum teneat; nè scilicet eas maculet & destruat.* Nihil ergo

ergò cum culpâ perdat; nihil malè complicatum, locovè decenti non repositum abjiciat; aut pulveribus aspersum, lutoque infectum perire sinat; inquit Nicolaus Lancicius *opusc. spirit. 2. de curâ Minor. c. 6.* Cumque libri facile damnificentur & destruantur, si relinquuntur aperti; Regula S. Pachonii quinquagesima sexta ab Angelo tradita jubet, ut *nemo vadens in congregationem ad vescendum, dimittat codicem non ligatum.*

*Octava* est, quod Religiosus non debeat ex rebus sibi ad usum concessis, & ipso usu consumptibilibus plus consumere, quàm sit necesse; v. g. quod candelam non debeat accendere, nisi id necessitas exigat; neque in scribendo plus chartæ vel atramenti impendere, quàm opus sit. Sic legitur in vita Patris Balthasaris Alvarez, *quod exhortationes, quas faciebat, etsi magni essent momenti; eas tamen non in mundâ chartâ, sed in operculis litterarum scribebat; ut in hoc paupertatem exerceret.* Idem faciunt alii timorata conscientia viri in usu necessario chartæ, & candelarum; sicut videre est apud Lancicium *suprà n. 127.* ubi etiam monet, reliquias candelarum non esse abjiciendas, sed congregandas; ut suo tempore reddantur fratri novas candelas præparanti. Additque *num. 131.* Abstinendum etiam esse à pretiosis & frequentibus medicinis, imò ab omnibus; nisi gravis necessitas cogat, aut Obedientia Superioribus debita.

*Nona* est, quod Religiosus non possit in cellâ suâ habere aliquid superfluum, sive non necessarium

rium quoad vestes, libros, stratum, instrumen-  
 ta, aliaque utensilia; ita quidem, ut nec permis-  
 sio & licentia Superioris ei in hoc suffragari pos-  
 sit: quia omnis superfluitas repugnat statui &  
 conditioni Paupertatis. Propter quod Tridentinum *Sess. 25. de Regular. c. 2.* jubet, quod mo-  
 bilium rerum usum ita Superiores suis subditis  
 permittere debeant, *ut eorum supellex statui  
 paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ni-  
 hilq; superflui in ea sit.* Qualis verò & quanta  
 possit esse Religiosi hominis supellex; aptè de-  
 scripsit Sunamitis illa. *4. Reg. 4.* dum de Elisæo  
 Prophetâ, qui veteris testamenti teste S. Hiero-  
 nymo Monachus fuit, ita ad virum suum ait:  
*Faciamus ei cœnaculum parvum, & ponamus in  
 eo lectulum, & mensam, & sellam, & candela-  
 brum.* Quibus pro devotione adjungi possunt  
 piæ quædam imagines minimè sumptuosæ, & li-  
 bri aliquot necessarii, partim pro lectione spiri-  
 tuali, partim pro doctrinâ & scientiâ ad finem  
 vocationis necessariâ acquirendâ. Absint igitur  
 à cellâ & corpore Hominis Religiosi vestes pre-  
 tiosæ, & è panno pretioso factæ; quia *de vesti-  
 mentis calceamentisvè non ea exquirenda nobis  
 sunt, quæ sunt elegantiora; sed quæ viliora, et  
 deligenda;* inquit S. Basilius *in constit. Monast.*  
*c. 31.* Undè S. Bernardus *in Apolog. ad Guilielm.*  
 Abbatem in sui ævi Monachos vestes pretiosas  
 circumferentes gravissimè invehitur, dicens:  
*Queritur ad induendum non quod vilius, sed  
 quod subtilius invenitur. Nec vestitum quæri-  
 mus, sed ornatum. Ecce enim ipse habitus noster*  
 66 (quod

Stone

(quod est dolens dico) qui Humilitatis solebat esse  
 insigne, à Monachis temporis nostri in signum ge-  
 statur superbia. Vix jam in nostris provinciis in-  
 venimus, quo vestiri dignemur. Qui vis de seculo  
 quantumlibet honoratus non nostra horrebit in-  
 dumenta, si suo sibi modo preparata fuerint et a-  
 ptata. Tucullam empturus, lustras urbes, fora  
 circūs, percurris nundinas, domus scrutaris ne-  
 gotiatorū, cunctam evertis singulorum supellecti-  
 lem, ingentes explicas pannorum cumulos, attre-  
 ctas digitis, admoves oculis, solis opponis radio; quid-  
 quid grossum, quidquid pallidum occurrerit, re-  
 spuis; Siquid autem sui puritate ac nitore placue-  
 rit; illud mox quantumlibet pretio satagis tibi re-  
 tinere. Absit etiam à Religioso in vestimentis  
 vilibus quævis vanitatis species & ornatus. Non  
 sit notabilis *Habitus vester*, inquit S. Augustinus  
 in *Regulâ*; neq; affectetis vestibus placere, sed mo-  
 ribus. Quamvis enim aliquando minus materiæ  
 requirat ejusmodi ornatus; prout apparet in cal-  
 ceis nimium strictis: nihilominus forma, species,  
 & elegantia talis superflua est, & paupertati neu-  
 tiquam congruit, eamque in Abbate quodam  
 Ordinis Cisterciensis correxerat Philippus Roma-  
 norum Rex; & in Monacho de Ordine Nigro-  
 rum redarguit Rex Franciæ, teste Cæsario *lib. 4.*  
*c. 12.* Cum enim ille apud Regem instaret, ut  
 militis cujusdam Bona Monasterii diripientis pe-  
 tulantiam coërceret; diceretque: *Verè Domine,*  
*omnia quæ habemus, rapuit, et iam penè nihil nobis*  
*dimisit;* respondit Rex: *apparet in calceis vestris:*  
*si enim aliquid dimisisset vobis corii, non essent*  
 tam

*dam stricti.* Absit denique à cellâ Religiosa hominis speculum, & ejus usus, à vitæ spiritualis Magistris improbatus & damnatus. Sed nec illa, quæ Religioso cæteroquin permittuntur, abundare & terminos necessitatis excedere debent. Quapropter nihil indumentorum in cubiculo retinendum, cujus usus non sit necessarius; sed in commune vestiarium referatur. Nec plures libri possunt retineri, quàm opus sit pro ordinaria lectione & usu; præsertim si tales sint, quibus alii fratres magis egent & frequentius.

*Decima* est, quod Religiosus pecuniam, quam à Superiore ad iter quoddam suscipiendum pro viatico accepit; non possit adhibere pro alio usu v. g. pro imaginibus, rosariis, vel similibus emendis; etiamsi parcior fuerit in victu, & non tantum in diversoriis insumpserit, quantum licetè insumere potuisset: Quia non potest illâ pecuniâ uti ad finem alium, quàm ipsi per Superiorem concessa fuit. Abdit P. Nicolaus Lancicius *suprà num. 124:* Religiosum in itinere constitutum non debere in hospitiiis procurare mensam pluribus melioribusvè cibus instructam, quàm domi in Monasterio haberet; neque vinum aliud, quæ potius genus à vulgari diversum.

*Undecima* est, quod Religiosus, cui dispensatio vel distributio rei cujusdam temporalis à Superiore commissa est, qualis est v. g. Procurator seu previsor, cellarius, præfectus culinæ, vestiarius &c. non possit eam rem dispensare ex arbitrio suo & juxta beneplacitum suæ voluntatis; sed teneatur se in omnibus strictè voluntati Superio-

terioris conformare ; ita ut peccet contra votum l'auptatis, si alicui plus vel minus, deterius vel melius tribuat, quàm Superior velit: quia hoc faciendo res Monasterii communes perindè usurpat & dispensat, ut proprias, quasi dominus & proprietarius foret, à nullo dependens.

## §. 14.

*De tertio medio ad operandum ex charitate Dei, quod est virtus Charitatis.*

206. **Q**Uot & quantas curas, sollicitudines, distractiones, tumultus, anxietates, & inquietudines animi pariat conjugium seu Status Matrimonialis, quæ impedire solent, quò minus Deo plene vacare, & ipsi totaliter adhærere per amorem conjuges possint, docet Apostolus. *1. Corinth. 7.* paucis his verbis: *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Pluribus verò Basilius *Epist. 1. ad Gregor. Theologum* dicens: *conjugio mancipatum curarum agmen excipit, desiderium prolis, uxoris custodia, domestica procuratio, servilium officiorum constitutio, damna in civilibus contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis alea, agricultura labores: unaquæq; dies suam adfert animo caliginem.* Et in *Constit. Monast. c. 1.* Neque cura ulla, quæ accidere hominibus soleant, graviores, quàm ea, quæ à conjugio profecta, gregatim innumerabiles penè advolant; cum Paulus dicat: *Qui cum uxore est, sollicitus est de iis, quæ sunt*

*Sunt mundi. Curarum sarcinâ degravatus, & in filiorum curatione occupatus, infinitas cogitur curas exhaurire.*

Præterea solent voluptates carnales sive licitæ in matrimonio, sive illicitæ extra illud, causare mentis hebetudinem, stupiditatem, obscuritatem, cœcitatem; & ineptitudinem intellectus ad contemplanda cœlestia, ac consequenter ad Deum amandum, & per voluntatem ipsi adhærendum. Carnalis siquidem animus brutalibus concupiscentiæ & appetitibus inferioris oblectationibus addictus, more brutorum & bestiarum non nisi sensibilia & carnalia cogitat; spiritualia verò nauseat & fastidit, nec ad ea percipienda se erigere valet; imò sæpè nè quidem impendentia sibi corporalis valetudinis, Bonorum temporalium, famæ ac honoris damna considerat & perpendit; quia *Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor. Osee 4. Sicut enim vinum, & ebrietas eum, qui biberit, mentis suæ impotem facit; ita fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumq; debilitat, & de rationali homine brutum efficit animal:* inquit S. Hieronymus in præfat. locum *Ose.* Et S. Gregor. lib. 31. moral. c. 17. *De luxuria cœcitas mentis, inconsideratio & præcipitatio generatur.* Item lib. 4. dialog. c. 36. *Carnalis delectatio mentem, quam inspicit, obscurat; ut veri luminis claritatem non videat; sed undè delectatur inferius, undè caliginem supernam patiatur.* S. Basilius in *Constit. Monast. c. 1.* ait: *quod voluptatum blanditiis delinitus, animi oculos sibi veluti crassissimâ quâ-*

dam nebulâ offusos esse patiatur; vellicatâq; à libidinum fumo mentis acie, excidat à contemplatione rerum divinârum. Denique S. Ephrem de intemperant. hominem voluptatibus deditum sic describit ad vivum; *Feminarum consuetudine detinetur; suavi corporum colore & pulchritudine irretitur; mulierum obtutu & risu liquefcit; eorum, quæ vigilans aut in somno vidit, recordatione latatur; vultus femineos pingit in mente suâ; manuum contrectationes, complexus corporum, implicationes membrorum, dulcedinem sermonum, risus oblectamenta, nutus oculorum, ornamenta vestium, cutis colores, blanditias adulationum, motuum ac gestuum illecebras intemperatus in animo suo tanquam pictura exprimit & effingit, in eaq; cogitatione fixus hæret, & immoratur. Si librum aliquem de virtute, de pudore, de continentia disputantem audiverit: tristis est. Si gravem Seniorum de rebus utilibus & honestis colloquentium cætum viderit; alio se convertit: Patrum severitatem fugit: De jejunio sermones averfatur &c. Solet enim carnalis voluptas parere tædium & aversionem rerum spiritualium in animo; sicut experimur in multis sæcularibus, qui colloquia & discursus spirituales conantur omni modo abrumpere, & in mundanos ac illecebratos convertere.*

207. Hæc autem omnia impedimenta tollit & præcavet *continentia* seu virtus *Castitatis*: nam imprimis removet sollicitudines, curas, distractiones & inquietudines multiplices status conjugalis; sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 7. *Volo*

autem vos sine solitudine esse: qui sine uxore est  
 sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat  
 Deo. Deindè Castitas animum à voluptatibus  
 abstractum facit idoneum ad contemplationem  
 cœlestium, & amorem Dei; sicut testatur idem  
 S. Ephrem de Castit. dicens: O Castitas, quæ de-  
 litias, & elegantiam, atq; ornatum corporis dete-  
 staris! O Castitas dapium & epularum atq; ebrieta-  
 tum, inimica! O Castitas quæ verecundia freno  
 oculos moderaris! O Castitas, quæ carnem affligis,  
 & in servitutem redigis! O Castitas, portus tutus ab  
 omni tempestate, in pace & tranquillitate consti-  
 tutus! O Castitas, quæ cor possidentis letitiã per-  
 fundis, & anima: adjungis alas in cœlum! O Ca-  
 stitas, quæ animum reddis quietum, & à pertur-  
 bationibus liberum! O Castitas, quæ iustos illu-  
 minas &c. S. Basilius serm. 1. de Instit. Mona-  
 chor. ait, hominem castum ultra humana natu-  
 ra fines processisse, & vitæ se instituto à corpore  
 sejuncta tradidisse, Angelorumq; conversationem  
 sibi imitandam proposuisse. Siquidem proprium  
 hoc est Angelica natura, liberum esse à vinculis  
 conjugii, neq; ad aliam ullam contemplandam pul-  
 chritudinem animo distrahi, sed oculos in Deos  
 assiduè intentos habere. Propter quod in primi-  
 tivâ Ecclesiâ illi, qui Deo se totos dedicare &  
 consecrare volebant, à nuptiis & conjugio ab-  
 stinentes, in perpetuâ castitate vivebant; sicut  
 refert Euseb. lib. 1. demonstr. Evang. c. 8. quod jam  
 tum Ecclesia duplici viâ vitæq; distincta fuerit;  
 quarum una excelsa, sublimiorq; communi vitæ  
 ratione, non nuptias, non sobolem, non possessiones,  
 non opes requirens aut curans, totam se supra hu-

mana vulgariq; extendit, cultui admirabili, cœlesti amore, stimulante, Deo consecrata; cuius sectatores tanquam mortali vitâ perfuncti, corpore harente quidem in terrâ, sed animâ per cogitationes translata in cœlum, quasi quidam Dii reliquorum vitam ab aliis contemplantur. De primis Monachis à S. Marco & Apostolis hinc indè per orbem terrarum institutis, quos antiquitas *Essæos*, *Essenos*, *Hosios*, & *Therapeutas* appellabat, scribit Porphyrius lib. 4. de *Abstinent. Conjugium non amplectebantur, sed omnem voluptatem aversebantur, virtuti sibi ducentes, esse temperantes.* Et Philo de vitâ cont. *Integritatem amant, & nuptias vitant: Quisquis enim aut uxoris illecebris irretitus, aut curâ liberorum distractus est, non jam amplius idem, qui prius erat, sed alter factus est, nempe ex libero servus.* Atque has ob rationes Ecclesia Catholica statui Religiosorum; imò quorumcunq; Clericorum ad subdiaconatum promotorum statui inseparabiliter annexuit votum solenne *Castitatis*, quo non solum inhabiles reddantur ad contrahendum matrimonium, iuxta c. unic. de voto & voti *Redempt. in 6.* verum etiam obstringantur ad quoscunq; actus impudicos evitandos, externos, & internos; ita ut mortale crimē sacrilegii admittant, si voluntariè se oblectēt vel exteriùs tactibus libidinosi proprii aut alieni corporis, osculis, aspectibus, aut cantionibus impudicis; aut interiùs cogitationibus, repræsentationibus, desideriiis, vel morosis delectationibus obscœnis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscen-

dam

dam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. Et juxta S. Augustinum in Reg. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.

208. Porrò quamvis plures sint gradus Castitatis; duo tamen solùm ex iis ad incipientes & Novitios spectant. *Primus* est & infimus, cùm quis non amplius quidem in cogitationem obscœnam aut turpem consentit; attamen frequentibus adhuc & gravibus infestatur tentationibus carnis; quibus in principio non satis maturè resistit; neque occasiones tentationum sollicitâ cautione declinat. *Qui* gradus valdè est adhuc periculosus, & lapsui propinquus; ideoq; in eo minimè est subsistendum. *Secundus* gradus est eorum, qui phantasmatibus & cogitationibus obscœnis nullû prorsùs aditum ampliùs concedunt; sed iis statim in principio, dum exurgere incipiunt, maturè obviant ac resistunt; & nè tam facilè exoriri possint, occasiones sollicitè remonent & declinant. Undè studiosè præcavent satietatem in sumendo cibo ac potu, oculorum evagationes, familiaritatem cum secularibus, & præcipuè colloquia cum scœminis & pueris. Quantam autem diligentiam & studium adhibere Novitii debeant, ut hunc Castitatis gradum conscendant, & à periculo lapsûs remotiores existant, patet ex eo, quod teste S. Augustino *serm. 250. inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia Castitatis: ubi quotidiana est pugna, & rara victoria: ita ut qui triginta aut viginti annos se in Castitate, jejuniis*

Cc. 5

con.

continuis precibus, in multis item lacrymis & corporis macerationibus discruciarunt, tandem collapsi sint, & in portu (sicut ajunt) naufragium fecerint miserabili prorsus spectaculo; ut inquit S. Basilius homil. 12. in princip. Proverbior. Præterea Castitas virginalis semel amissa, nunquam potest reparari & restitui per quamecunq; etiam pœnitentiam & satisfactionem. Cum omnia possit Deus: suscitare virginem non potest post ruinam; inquit S. Hieronymus in c. 5. Amos. Valet quidem liberare de pœnâ; sed non valet coronare corruptam. Et S. Basilius lib. de verâ Virginit. Si hoc amittas patrimonium integerrima Castitatis; quamvis illa omnia facias, quæ dixi, cælumq; & terras & maria & abyssos, immensumq; aerem pervagata fueris? nullâ hoc omninò ratione recuperare jam poteris: quo enim pacto, quod corruptum semelest, jam incorruptum fiet? pœnitentiâ quidem peccatum relaxari certum est: verum quæ corrupta est, quasi inviolata perstiterit, redintegrari omninò non valens, dum vivit, lugebit.

209. Media autem, per quæ conservatur Castitas, sunt in duplici differentiâ: Nam aliqua consistunt in fugâ; alia in actione. Primum in fugâ consistens est, ut fugiamus occasiones illas, in quibus periculum aliquod Castitati prudenter potest timeri, aut quæ aptæ natæ sunt, tentationes carnis in nobis excitare. Qualis procul dubio occasio est consortium, familiaritas, & confabulatio non necessaria, etiam brevissima cum foeminis. Multum habet illecebræ, multumq; reberis natura femineæ ad omne, quod sit masculinè

ni generis contra se attrahendum; inquit S. Ba-  
 filius lib. de verâ Virginit. Blandimentum cupi-  
 dineâ voluptatis est femina; & masculo lascivio-  
 ribus oculis ad se inspiciendam, illecebram natu-  
 raliter suggerit; ac liquidiore voce ad oblectamen-  
 tum auris, organi adinstar efficta est; membrorum-  
 que insinuatâ mollitiâ, ac toto prorsus corporis ha-  
 bitu & motu ad seductionem formata voluptatis;  
 non modò enim loquens mulier, & intuens; ve-  
 rum sedens, quoq; & incedens, ob insitam sibi na-  
 turaliter adversus masculum vim, hunc ad se  
 eminùs attrahit, non secus ac Magnes lapis fer-  
 rum. Propter quod in Constit. Monast. c. 4. mo-  
 net: Fugienda imprimis cum mulieribus nobis  
 congressiones sunt collocutionesque; neq; ad eas  
 unquam accedendum, nisi cum gravissima nos  
 aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere  
 non possumus. Atq; ipsa etiam ubi nos necessitas  
 adegerit, ab ipsis non secus atq; ab igne cavendum  
 est; adeò ut quàm ocysimè, nullâ morâ ab istis nos  
 extricemus. Quod si quis dicat, ex assiduo se cum  
 mulieribus colloquio congressuq; & convictu non  
 admodum ladi; hic sine dubio aut maris naturæ  
 pariceps non est; aut portentum est quoddam in-  
 solentissimum, & præter omnium opinionem admi-  
 rabile. Et infra: Proinde danda est opera, ut (sî  
 fieri possit) mulierum colloquia congressuq; sun-  
 ditus fugiamus. Sin id non possit fieri; in eo eni-  
 tendum est certò, ut quàm rarissima illa & quàm  
 brevissima fiant: Ne ex earum aspectu in memo-  
 riam ejus, cui semel nuntium remisimus, libidinis  
 redire cogamur. Narrat Cassianus lib. 5. instit.

c. 17. quod tritum olim apud antiquos Patres fuerit adagium, *omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos*; hos quidem, nè ex Monasterio pertrahatur ab eis ad Officium Clericatus; illas verò, nè ad carnis provocetur voluptatem. Nec refert, quod scemina aliqua, quâcum loquimur & conversamur, videatur nobis valdè honesta, devota, religiosa; sitq; etiam reverà talis: Nam utique *pluvia bona est, & bona terra: tamen ex earum conventionione fit lutum, quo homo scædatur*; uti quidem respondet *in vitis Patrum occident. lib. 7. cap. 10.* Quid sanctius in genere scemineo deberet esse ipsis Sanctimonialibus? Nihilominus SS. Patres Concilii Nicæni II. *can. 10.* severissimè prohibent colloquium inter Monachum & Monacham. Concilia verò Turonense III. *c. 29.* Arelatense *c. 7.* Et Epau-nense *c. 38.* præcipiunt, ut Sacerdos Sacrificio Missæ apud sanctimoniales peracto, confestim ac sine ullâ morâ indè discedat; neque aliquos cum illis sermones non necessarios misceat S. Basilius *in Reg. brevior. interrog. 109.* postquam proposuisset: *An conveniens sit, ut Antistes unum cum Antistita sapius in colloquium veniat?* respondet: *quoad fieri potest, danda opera est, ut colloquia quàm rarissima fiant & brevissima.* Causam dat *lib. de vera virginit. Est enim vehementer astutus is, qui affectum boni in nobis summo studio malignè depravare conatur; furari quippe nostra bona studia & desideria intendit, suorumque illorum vice callidè nobis inserere. Ita quibusdam eum verba de virtute, fieri audirent, atq; huius-*  
modi

modi loquenti anima afficerentur, ex auditu iugiter  
 & aspectu clam subreptum est, ut animo imprimerent  
 lineamenta corporea, & voce auditum lascivè  
 mulcerent; nec jam animam, quam prius diligendo,  
 ex hominis ore pendebant, sed corpus ipsum  
 perversè nimis atq; improbè amarent.

Altera occasio fugienda est familiaritas &  
 conversatio cum teneris adolescentibus, & ju-  
 venibus imberbibus. Cave à nimia juvenum con-  
 suetudine; inguit S. Ephrem de vita Spirit. Mul-  
 ti enim corrupti sunt; & stulti evaserunt. S. Do-  
 rotheus doctrina 9. ait: Adolescentulorum collo-  
 quia & amicitias fuge ut amicitiam diaboli. Jux-  
 ta Helinandum Monachum apud Vincentium  
 Belvac. tom. 4. lib. 29. c. 144. Quantum periculū  
 sexus affert in muliere, tantum atas in puero. Pe-  
 riculosa enim est atas pueri, periculosiorq; Socie-  
 tas; periculosissima verò familiaritas. Unde le-  
 gitur in vitis Patrum, non habendam esse familia-  
 ritatem cum fœminâ, & puero. B. Isaias Abbas  
 Orat. 3. monet: Si junior es; nè audeas corpori  
 alterius manum adhibere. S. Basilius apud Bea-  
 tum Petrum Damianum in Gomar. c. 15. statuit:  
 Si deprehensus fuerit aliquis de Fratribus libenter  
 cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias  
 atatis infirmæ; tertio commonebitur, ut recedat  
 ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis,  
 & timoris Dei. Si non cessaverit, corripietur, ut  
 dignus est, correptione severissimâ. Regula S.  
 Pachomii divinitus per Angelum tradita jubet,  
 ut Monachus adolescentum vel parvulorum inse-  
 flator, vel qui oscule, vel qui aliquâ occasione  
 curpi

turpi deprehensus fuerit; publicè verberetur, &  
 coronam amittat; decalvatusq; turpiter sputa-  
 mentis obliniatur in facie; vinculisq; arctatus  
 ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur.  
 &c. Idem S. Basilius *serm. de Abdicat.* monet  
 Religiosum juvenem, ut æqualium suorum fa-  
 miliaritatem in Monasterio omnibus modis de-  
 vitet; ait enim: *Juvenis sive etate, sive anima*  
*fueris, æqualium tuorum consuetudinem defu-*  
*gito; ab illisq; te non secus atq; ad ardentis simi-*  
*flammâ procul abducito; quando illorum operâ*  
*usus adversarius, plerosq; olim incendio dedit, &*  
*sempiterno igni cremandos addixit, ac spiritalis*  
*videlicet primò Charitatis vanâ quâdam specie*  
*illectos in teterrimam postea Pentapolitarum vo-*  
*raginem precipites dedit. Quandocunq; asiden-*  
*dum est; aliquo semper intervallo ab eo asideto.*  
*Quandocunq; capiendi somni causâ cubandum;*  
*cave, nè vestimenta inter se mutuò sibi vestras*  
*propinquent. Quoties verò aut tecum loquitur,*  
*aut ex adverso in conspectu psallit; Dejecto in hu-*  
*manam vultu tu illi respondeto: nè fortè interim,*  
*dum tu illius os defixis oculis contueris, suscepto*  
*ab hoste & malorum satore libidinis semine, cor-*  
*ruptionis postea ac perditionis manipulos metas.*  
*Domus aut aliquo in loco, ubi quæ à vobis fiunt, vi-*  
*dere qui possit, arbiter sit nemo, cave nè unâ cum*  
*eo simul deprehendaris unquam, eâ re videlicet,*  
*quod unâ cum eo divina eloquia meditari te dicas.*  
*Aliamvè quævis ob causam, etiam summè ne-*  
*cessariam &c. Causam tanti periculi tradit idem*  
*Basilius *serm. 1. de Instit. Monachor.* dicens:*

Ple

Plerumque in adolescentum corporibus, tametsi summopere continentia macerare se studeant, nescio quomodo naturalis illi aetatis coloris quasi decor quidam efflorescit; in quem qui inspexerint, in libidinum plerumque stimulis solent permoveri. Unde S. Theodorus Studitarum Abbas suo successorum inter alias leges, etiam istas reliquit & commendavit: *Non statues tibi diversorium, in quo sint etiam mulieres: sed apud Religiosos viros potius divertere, Non habebis in cella tua discipulum adolescentem, quo afficiare; sed ministeria tua obeant diversi Fratres, & minimè suspecti.*

210. Secundum Castitatis conservandae medium in fugâ consistens est custodia & refræntatio sensuum externorum ab objectis illis, quæ phantasias turpes causare, & tentationes carnis excitare, ac quovis modo Castitati periculum adferre possunt. Et quidem de Visu monet Spiritus Sanctus. *Eccl. 9. Virginem nè conspicias; nè forte scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis. Averte faciem tuam à muliere completâ; & nè circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Speciem mulieris alienae multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Et Eccl. 25. Nè respicias in mulieris speciem. Item Eccl. 42. Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea; & à muliere iniquitas viri.* Idem monet S. Hieronymus Rustic. Monach. dicens: *Matrem ita vide, nè*  
per

per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hereant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Et S. Basilius serm. de Abdicat. Cave, curiosus sis; neq; videre omnia volueris: nè ex eâ visione postea in animum tuum libidinum sanies redundet. Causam dat lib. de verâ Virginit. Quia qui curiosè in vultus & formas hominum oculos defigit, is jactis luminum radiis veluti quibusdam incorporeis manibus, quacunq; voluerit, eminùs tangit; & qua corporeis manibus attingere in potestate non habet, ea oculorum jactibus complectens, per eas, quas impressit animo, formas corpus omne ad injectas imagines voluptatis astibus jactat. Nam cum hausta luminibus forma obtutus defixerit, atq; in anima voluptate mollita cera instar conspectæ speciei imagines presserit, quamvis ille abeat, seorsumq; sit, qui hujusmodi formas impresserit, insignita animo conspecti species quod suum est, operatur, animamq; imaginibus ludit. Nec sanè quicquam proderit, corpus servare incorruptum; cum anima ad injectas sibi per aspectum corporalis amoris illecebras prostituta vitietur. Nam incorporeis manibus hunc jugiter, quem amat, amplectens, insitum medullitus animo secum semper & ubiq; circumfert; & qua corporaliter exequi, nè deprehendatur, erubescit, ea perpetrare cogitatione non metuit. Subdit tandem: si igitur aspectus adeo perniciosi ignis materia efficitur; audiamus momentem Scripturam, ac dicentem: oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ innuant justa. Quod si tactus quidam est, oculorum ad corpora jactus, sicuti cum in eos, qui morbo tenentur,

zur, oculorum obtutus diutius figimus morbi ipsius  
 consortes efficimur: ita profecto & cum voluptatis  
 iudiciis injicimus oculos; animus voluptatis morbo  
 fit saucius. Dux & praevisus ac pronubus oculorum  
 jactus est eius, cujus manus ministrae sunt, tactus.  
 S. Cyprianus lib. de disciplin. & Bono pudicit. hor-  
 tatur, ut nihil consideretur curiose in vultibus  
 alienis scilicet

Lumina visu

Concipiunt flammam, parturiuntq; nefas.  
 Ergo puellares formas vultusq; decentes,  
 Aut verso, aut merso despicias capite.

uti canit S. Orientius Episcopus in Bibliothec. SS.  
 Patrum tom. 5. part. 3. Causa gravissimorum a-  
 quis diluvii expiandorum peccatorum significatur  
 Genes, his verbis: *Videntes Filii Dei filias*  
*hominum, quod essent pulchrae &c. Genes. 34.* Di-  
 citur de filia Jacob: *egressa est Dina &c. quam*  
*cum vidisset Sichem filius Hemor, adamavit eam.*  
*Genes. 39. Injecit Domina oculos suos in Joseph:*  
*& inde concupiscentia. 1. Reg, 11. David vidit*  
*mulierem &c. ac statim secutum est adulterium.*  
*De longè vidit illam, in quâ captus est. Mulier lon-*  
*gè; libidopropè; inquit S. Augustinus tom. 8. in*  
*Psalm. 50. De senè & Judice, qui insidiatus est*  
*Castitati Susannæ ait Daniel Prophetas. 13. Spe-*  
*cies decepit te, & concupiscentia subvertit cor tu-*  
*um. Dicitur enim ibidem versu. 5. Videbant*  
*eam senes quotidie ingredientem & deambulante-*  
*tem, & exarserunt in concupiscentiam ejus. Nec*  
*gentiles & Ethnicos latuit hoc periculum oculo-*  
 Dd rum

rum malè custoditorum : nam Plato vocat oculos *Principium amoris*. Et Poeta canit : *Si nescis, oculi sunt in amore duces* ; Juxta Senecam *de remed. fortuit. Irritamenta sunt oculi vitiorum, duces scelerum. Huic adulterium oculi ministrant ; huic domum, quam concupiscat. Cùm Sophocles videns adolescentem valdè formosum, diceret Pericli collegæ suo in officio Prætoris : En quàm speciosus adolescens ! respondit Pericles ; Decet Prætorem non modò manus, sed oculos & linguam habere abstinentes*; uti refert Stobæus *serm. 5. De Isæo scribit Philostratus in Sophist.* quod, cùm quidam ei foeminam ostendens, interrogaret, num formosissima videretur, responderit : *Desii laborare oculis*; docens, magnum esse oculorum morbum & periculosam infirmitatem, si hi sint proni ad mulieres conspiciendas. & ad vultus elegantes contemplandos. S. Basilius *homil. 24. de libr. gentil.* refert, quod Alexander Magnus *Darii filias captivas admirabili formâ & decore conspicuas nec videre dignatus est*; turpe esse existimans, victores his, quas ipsi superâssent, gentibus succumbere. Meritò igitur Job pepigit *foedus cum oculis suis, ut nè cogitaret quidem de virgine*. Et nè prius incautè aspiceret, quod postmodum *in vitus amaret*; ut inquit S. Hieronymus *in dictum locum. c. 31.*

De sensu *Auditûs* ait S. Basilius *lib. de verâ virginit.* *Nec minori studio aures obstruere curabit ; nè quicquam in eas malum ac noxium influat ; neque in vectis extrinsecus per aures verbis agitetur animus.* Nam *Auditus suavitatem vocis attingens*

gens, animam in lasciviam solvit. Et femina li-  
quidiore voce ad oblectamentum auris, organi in-  
star efficta est, & ad seductionem formata volup-  
tatis. Quapropter Sectator Castitatis omni cu-  
stodiâ servet cor suum, ut neq; per vocem profluens  
sermo auditorem demulceat ad voluptatis illece-  
bram; neq; rursus extrinsecus in aurem ab alio  
invectus, ipsius cor ad concupiscentiam molliat.  
Quia adolescens ille Proverb. 7. aperuit aures  
suas voci mulieris blandientis; hæc irretivit  
eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum  
protraxit illum; ut eam sequeretur, quasi bos  
ductus ad victimam; ignorans, quod ad vincula  
stultus trahatur; velut si avis festinet ad laqu-  
eum, & nescit, quod de periculo animæ illius agi-  
tur.

De sensu *Tactûs* vide, quæ suprâ diximus. De  
*Gustu* ait S. Nilus orat. 2. de luxur. Qui ven-  
trem cibus explet, & se castè victurum profitetur,  
ei similis est, qui dicit, in stipulâ se flammæ impe-  
tum fræno cohibiturum: quemadmodum enim  
furor ignis in stipulâ sæviens coerceri non potest:  
ita luxuriæ vis in corpore cibus distento percur-  
rens retineri nequit. Causam dat S. Basilius lib.  
de verâ virginit. dicens: ventre distento epulis,  
necesse est ea, quæ sub ipso sunt, membra ex humo-  
ris redundantia in profundo ferventis ad propria  
& naturalia officia moveri: quippè Superior ven-  
ter suppetit illis incentiva libidinis. Ante omnia  
igitur adversus *Gustum* virgo totâ intentione  
pugnabit, fontesq; voluptatum ventris & impu-  
dicitia fomitum inde manantium à principio Ca-

stutatis studio & ardore siccabit. Neq̄, verò sola es-  
 scarum quantitas ubiq̄, probè metienda; sed &  
 qualitas imprimis sapienter discernenda est. Pro-  
 noxiis vitanda vitanda sunt, quæ carnis recessus  
 intimos pungunt, & pruritus titillationesq̄, ex-  
 citantia, corpora nostra perturbant, ac secretâ  
 vi suâ inquietant. Undè Noster Laurentius  
 Landtmeter commentans in illud Augustini in  
 Regula: *carnem vestram domate jejuniis, & ab-*  
*stinentiâ escæ & potûs; quantum valetudo per-*  
*mittit; ait, Religiosum obligari ad temperan-*  
*tiam; etiamsi aliàs non foret per se precepta, ob cu-*  
*stodiam castitatis: quia cum carnis titillationes fe-*  
*rè oriantur ex abundantia humidæ redundantis;*  
*vix restabit quandoq̄, aliud remedium, præsertim*  
*inforti & succulentâ etate, quàm strictior tempe-*  
*rantia, quæ siccat & refrigerat. Et S. Hierony-*  
*mus in Epist. ad Titum c. 3. Dicat quisq̄, quod vo-*  
*let; ego sequor conscientiam meam. Scio mihi ab-*  
*stinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse*  
*repetitam. Potissimum verò mortificandus est*  
*gustus per abstinentiam & exactiorem tempe-*  
*rantiam vesperi sub cœnâ: quia solet diabolus sub*  
*vesperam maximè excitare homines ad gulam; ut*  
*noctu semisomnes & torpidos tentet per libidinem,*  
*aliosq̄, prævios motus, eosq̄, varios & multiplices,*  
*velut examen apum; ut ait S. Basilius homih 14.*  
 Hæc de mediis, quæ in fugâ consistunt.

De aliis, quæ posita sunt in agendo & operan-  
 do, cujusmodi sunt virtus Humilitatis, lectio &  
 meditatio SS. Scripturarum, occupatio assidua &  
 seria, oratio, frequens Sacramentorum Pœni-  
 ten-

tentia & Eucharistia<sup>e</sup> usus &c. jam supra fusi<sup>us</sup> egimus ubi remedia contra tentationes attulimus. Quibus tamen addi potest ex S. Basilio *lib. de vera Virginit. Reverentia sui ipsius*, S. Angeli custodis, & aliorum Angelorum, imò ipsius Sanctissimæ Trinitatis. *Sola, nullo prorsus hominum teste, nihil quod sponso suo indignum sit, agere ullâ ratione patietur; inquit præfatus Doctor, Etsi enim adsit nemo; ipsa tamen sibi virgo adest, debetq; præ omnibus seipsam revereri: Neq; enim que reveretur cæteros, seipsam reverentiâ indignam judicabit; verum seipsam primum, conscientiamq; suam reverebitur; etiamsi valdè sit sola; deinde astantem sibi custodem Angelum: Angeli enim eorum, semper vident, inquit, faciem Patris vestri, qui in cælis est. Neq; verò convenit, ut Angeli ejus, cui credita est cura ac custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo. Præ cunctis autem ipsum sponsum suum (Christum) reverebitur, sibi assistentem, ipsiusq; Patrem, & Spiritum Sanctum, ipsarum etiam Angelorum infinitas multitudines, & unâ Sanctorum Patrum beatissimos Spiritus: Nullus enim ex his est, quæ non singula ubiq; consideret. Hæc ille.*

§. 15.

*De quarto medio ad operandum ex charitate Dei, quod est virtus Obedientia.*

211. **R**emotis iis impedimentis, quæ sunt extra nos, ut Honores, respectus humanus,

Dd 3

nus,

nus, vana gloria, possessio Bonorum tempora-  
 lium, uxor, liberi &c. Resectis item à corpore  
 nostro voluptatibus carnalibus, quæ animum  
 deprimunt, transire nunc debemus ad removen-  
 da impedimenta interna animæ nostræ, quæ  
 tranquillum, quietum & pacatum statum no-  
 strum internum, ad nos cum Deo per exercitium  
 Charitatis conjungendos & uniendos necessa-  
 rium, disturbant & evertunt. Cujusmodi impe-  
 dimenta interna imprimis sunt *propria volun-  
 tas, & proprium iudicium*. Ac quidem loquen-  
 do de propriâ voluntate, describit eam S. Pro-  
 sper *lib. 3. c. 1.* dum ait, eum vivere ex propriâ  
 voluntate, *qui secundum seipsum vivit; qui si  
 potuerit, est cum quibus vult; pergit, quò vult;  
 dormit, quando & quamdiu vult; loquitur quæ  
 vult, & ubi vult; manducat & bibit, quando  
 & quod vult, & quantum vult; ridet ac leta-  
 tur, inter quos vult.* S. Bernardus *serm. 3. de  
 Resurrectione Domini* inquit: *Voluntatem dico  
 propriam, quæ non est communis cum Deo, &  
 hominibus, sed nostratantum: quando quod vo-  
 lumus, non ad Honorem Dei, non ad utilitatem  
 Fratrum, sed propter nosmetipsos facimus; non  
 intendentes placere Deo, & prodesse Fratribus,  
 sed satisfacere propriis motibus animorum.*  
 Quam verò hoc adversetur Charitati Dei & pro-  
 ximi; quantosque animi motus, alterationes, &  
 turbationes in nobis excitari necessæ sit, si hæc  
 voluntas nostra, quam ubique impleri quæri-  
 mus, non impleatur; sed plura sæpè contra eam  
 sive à Deo, sive à proximis nostris accidant, satis  
 con-

constat experiētiā in congregationibus. Et docet Cassianus *lib. 4. Instit. c. 8.* dicens; Nullatenus posse eum iram aut tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, nec retinere veram cordis Humilitatem, & cum fratribus perpetuam concordiam, & diutius in cœnobio manere, qui prius voluntates suas non didicerit superare. S. Bernardus *serm. 3. citato de Resurrectione* inquit: Quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, & infernus non erit: in quem enim ignis ille deserviet, nisi in propriam voluntatem? Hæc est crudelis illa bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sevissima. Hæc est immundissima lepra &c. S. Dorotheus *Doctrinâ. 1.* ait: si liberari perfectè volumus, & ab hoc sæculo discedere; oderimus imprimis voluntatem nostram; & sic brevi divino præsidio ad impassibilitatem animi perveniemus; & libertatem spiritus acquiramus. Qui enim voluntates suas vincunt & abdicant, sequentes voluntatem alienam, tales omninò nihil terræ hujus aut timent, aut desiderant: non illos turbant aut percellunt labores, non movent gaudia; deniq; nihil omninò est, quod pacem mentis ipsis eripere, aut eos inquietare possit; ut inquit S. Theresia *lib. fund. c. 5.* Propter quod SS. Patres discipulos suos docuerunt, primitus vincere propriam voluntatem; juxta illud *Eccl. 18.* Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ avertere. S. Severus Sulpitius *lib. 1. dialog. c. 5.* de Monachis, quos ipse propè Nilum invisit, scribit: Hæc illo-


Dd 4

rum

rum prima virtus est, parere imperio alieno. S. Fulgentius Episcopus & Abbas apud Surium tom. 1. ad 1. Januar. illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent nihil velle, vel nolle; sed Abbatis tantummodo consilia vel precepta servare. Cassianus lib. 4. instit. c. 8. ait, monasterium ingressos ascendere posse summa perfectionis culmina, si doceantur primitus suas vincere voluntates, & si studiosè exerceantur in his, semperq; eis imperentur de industriâ, quæ sentiuntur eorum animo esse contraria. S. Antonius apud Rufinum in vitis Patrum lib. 1. c. 31. monet: Si quis cupit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi fiat Magister, nec propriis voluntatibus obediat; etiam si rectum esse videatur, quod velit; sed secundum mandatum Salvatoris ante omnia abneget semetipsum, & renuntiet propriis voluntatibus: Quia & ipse Salvator ait: Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. S. Hieronymus Rustico Monacho suadet, ut eligat vivere non solitarius, sed in congregatione: quia solitarius sequitur propriam suam voluntatem; & quò gula voluerit, porrigit manum; dormit, quantum voluerit; nullum veretur; facit, quod voluerit. Ac post multa subdit: per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius disciplinâ Patris. Non facias, quod vis. Comedas, quod juberis. Vestiare, quod acceperis. Operis tui pensum persolvas, Subjiciaris cui non vis. Lassus ad  
stra-

stratum venias, ambulansq, dormites; & nec dum expleto somno surgere compellaris. S. Basilius denique *serm. de Abdicat.* ait: voluntatem tuam omnem expuito, ac foras projicito. Et *serm. 2. de Instit. Monachor.* Delata ad unum quempiam de communi omnium consensu potestate, privata cujusq, separatim omnes facessere voluntates debent, seq, cuncti deinceps ad Magistri sui mentem conformare. Item in *Regula sus. interrogat.* 6, oportet ut nos ipsos primum abnegemus. Nihil est autem aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vite superioris oblivio, atq, a suis ipsius voluntatibus recessio. Imò in tantum SS. Patres voluntatem propriam a nobis abdicari volunt, ut nec opus aliquod ex se bonum, laudabile cœteroque, & honestum faciamus ex propria voluntate & arbitrio. Ita enim docet S. Bernardus *serm. 71. in Cantica*, dicens: Si in die jejunii inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit cœlestis sponsus; nec sapit illi jejunium meum, quod non liliū obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, & vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in eâ, & non Obedientiâ Magistri sui, id ipsum sentio; minime prorsus observantias illas, etsi bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas. Sed audiet à Propheta, qui ejusmodi est: nunquid tale est obsequium, quod eligi? dicit Dominus, Et addit: in die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tue. Grande ma-

Dd § lura



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

*Inn* propria voluntas ! quã sit , ut bona tua tibi  
 bona non sint. Et S. Basilius *serm. de Abdicat.* Hoc  
 apud te constanter tenetõ, ut nihil omninõ quic-  
 quam præter illius sententiam facias. Quid-  
 quid enim eo insciente facis , id furtum ac Sa-  
 crilegium est ; tibiq; exitium , non autem utilita-  
 tem ullam apportat ; esto , tu id bonum judices.  
 Et *serm. 2. de Instit. Monachor.* Vera perfectãq;  
 subjectorum adversus moderatorem Ordinis obe-  
 dientia in eo cernitur , si quis ex ejus consilio  
 non à rebus modõ flagitiosis absteineat ; sed si nec ea  
 quidem , quæ laudabilia sunt , sine sententia illius  
 faciat. At si quis propria obsequens voluntati ,  
 spretis consiliis Antistitis sui id facere voluerit ,  
 quidquid ipsi collibitum sit ; hic plus erit , quod  
 faciet mali , quàm boni. Item in *Regul. brevior.*  
 interrogat. 137. postquam quæsiuisset : num  
 rectum sit hoc , quod aliquis cum animo suo sta-  
 tuat , se per aliquod certum tempus ab hac vel  
 illa escã potione vè abstinere ? respondet : cum Do-  
 minus dixerit : non ut faciam voluntatem meam ,  
 sed ejus , qui misit me ; in quacung; re voluntatis  
 sue arbitrio stare periculosum est. Et interrogat.  
 138. ad propositionem : nunquid in fratrem  
 familia permitti alicui debet , ut plusquàm cæ-  
 teri jejuret , vigilet vè ex proprio ipsius volun-  
 tatis arbitrio ? respondet : Cum Dominus dixit :  
 descendi de cælo ; non ut faciam voluntatem  
 meam , sed voluntatem ejus , qui misit me ,  
 patris. Quidquid quisq; ex propria voluntatis  
 arbitrio facit , id cum facientis proprium sit , alie-  
 num est à cultu pietatis. Quod benè notent  
 Tyro-

Tyrones & Novitii, ut nullam mortificationem corporis non præscriptam assumant sine scitu & consensu sui Magistri.

212. De proprio iudicio nimis manifestum est, quantas pariat animi perturbationes, inquietudines & tumultus tum in ipso homine, qui proprii & singularis sui iudicii tenax est, aliorum maximè superiorum iudicio se non vult conformare; tum etiam in totâ congregatione & communitate, cui talis summoperè onerosus, ac quasi intolerabilis & insupportabilis existit, ut potè contentiosus, charitatis, concordiaë & pacis inimicus, arrogans, qui aliis cedere & eorum sententiæ deferre nescit, sed omnibus contradicit, & sibi adversantes oppugnat, cum verborum contentione, animorum aversione, & charitatis subversione. De quo hominum genere S. Chrysostomus ait *homil. 39. in Act. Apost.* *Item fit, quando cum talibus pugnamus, ac si quis stercore oblitum percutiat; qui dum illum ferire studet, suas ipse manus contaminat, scilicet: Hoc scio pro certo; quoties cum stercore certo; vinco, seu vincor, semper ego maculor.* Periculosius autem & magis noxium est hoc vitium intellectus, si subditus eò temeritatis & impudentiæ perveniat, ut iudicium, & sententiam superiorum suorum dijudicare velit, iussa & prohibitiones contemnat; suum iudicium illorum iudicio anteponat; leges, dispositiones, & ordinationes eorundem carpat, & erroris arguat. Undè S. Bernardus *serm. 3. de Resurrect.* *Lepra proprii consilii eò perniciosior est, quò magis occultat;*

ta;

ta; & quanto plus abundat, tanto sibi quoad  
 sanior esse videtur. Hec illorum est, qui zelum  
 Dei habent, sed non secundum scientiam; se-  
 quentes errorem suum, & obstinati in eo; ita  
 ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt uni-  
 tatis divisores, inimici pacis, charitatis exper-  
 tes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni  
 in oculis suis, ignorantes Dei iustitiam, & suam  
 volentes constituere. Et quae major superbia,  
 quam ut unus homo toti congregationi iudicium  
 suum praeferat, tanquam ipse solus habeat  
 spiritum Dei? Accedit, quod capitis tenacitas &  
 proprii iudicii ac voluntatis tenacitas quandoque  
 causa fit discelsus iterum ex monasterio vel Re-  
 ligione; sicut indicant Eusebius Emisenus ho-  
 mil. 3. ad monachos dicens: Pro aliqua negli-  
 gentia correctus, & pro disciplina ordine castiga-  
 tus, non se ad emendationem, non ad satisfactio-  
 nem confert, sed magis ad illam proterviam, ut  
 dicat: desero, atque discedo; hoc ego ferre non  
 patior: ingenuus sum: malo discedere, quam  
 emendare, quam satisfacere, quam implere  
 quod praecipis. Quid est hoc aliud, quam iugum  
 Christi rebelles cervicibus à se excutere? Quid pro-  
 deest, quod discedis, qui astrictus es vinculis pas-  
 sionum? Quid prodest, quod discedis, qui, qua-  
 cumque loco vadas, te tecum portas? Merito di-  
 scederes, si quocumque te fugere posses. Digne aliquis  
 discedit, si illuc ire possit, ubi eum diabolus in-  
 venire non possit. Nemo se fallat: non fugis ad-  
 versarium de loco ad locum, sed de vitio ad vir-  
 tutem, de passione ad emendationem. Nam si

eum

cum aliter fugias, sequetur te. Non obedire, & velle discedere, hoc est dupliciter facere diaboli voluntatem, hoc est voluntarie sibi damnationem inferre. Intelligamus ergo charissimi, istas indignationes inimico operante & disponente provenire. Ille enim, qui non potest absolute de loco salutis excutere, immittit primum occasiones & causas, immittit inobedientia passionem: quacum captivam illaqueaverit mentem, statim intoleranda atq; impossibilia facit etiam ea, quae parva & levia sunt. Inobedientia obdurat animam, quam semel cepit ut ad suscipienda praecepta nec auctoritate nec ratione flectatur; sed (quod pessimum est) sibi soli credat, & intentiones suas sequatur, & hoc solum rectum putet, quod obdurato corde concepit. Itinera insipientium recta in conspectu eorum. Prov. 12. Tempore discessionis multa promittit inimicus: persuadet illi, se illic, quò dedit, majorem profectum, multam gratiam, atq; rerum omnium abundantiam reperturum, ac se tanquam angelum suscipiendum. Et post hoc quandoq; anxietate repletur, & pace nudatus, memor quomodo profectus sui studium & sacrum Ovile reliquerit, tunc advertit.

213. Haec ergo tantorum malorum, discordiarum, tumultuum, & perturbationum radices, voluntatem propriam & iudicium proprium extirpat & funditus excindit virtus Obedientiae; quae juxta S. Joannem Climacum Grad. 4. est sepulchrum voluntatis propriae, & discretionis depositio. Nam qui subjectus est, & alterius pa-

ret,

ret imperio; ipse adversus se ipsum sententiam fert, & omni iudicio se exuit. Obedientia est enim, nunquam sibi, ne in his quidem, quæ videntur optima, usq; ad consummationem vitæ credere. Obedientia est animæ propriæ perfectæ abnegatio, inexaminatus, atq; indiscussus motus, spontanea mors, vitæ curiositate carens. Et veri Obedientes gladium spiritus vibrantes, voluntates suas necant; ut ait idem Climacus. Undè patres antiqui volentes docere suos Discipulos virtutem Obedientiæ, talia illis imperabant, quæ proprio illorum iudicio poterant videri inconvenientia. Patres seniores non loquuntur ab initio Fratribus recta, sed magis distorta; & si viderint, quia quæ distorta sunt, faciunt, jam eis non loquuntur, nisi quæ expediunt, agnoscetes, quoniam in omnibus obedientes sunt; inquit Abbas Joseph apud Paschas. libell. 10. n. 30.

Definitur autem Obedientia, quod sit virtus inclinans voluntatem ad exequendum iussa Præpositorum. Objectum ejus materiale, circa quod versatur, sunt imprimis omnia opera, functiones, & exercitia, quæ in Regula præscribuntur; deinde quæ per Superiorem juxta Regulam injunguntur. Dicitur verò superior aliquis injungere & præcipere juxta Regulam, cum præcipit non tantum, quæ expressè in Regula continentur, verum etiam quæ ad Regulam quocumque modo reducuntur; cujusmodi sunt omnia, quæ moraliter sunt necessaria, aut opportuna ad Regulæ observationem; ut inquit Suarez. de voto lib. 6. c. 7. n. 7. vel quæ pertinent ad Regularem

con-

conversacionem; ut ait S. Thomas. 22. q. 104. a. 1. ad 3. Qualia sunt omnia & singula, in Canonici Ordinis Præmonstratensis Statutis contenta. Sunt enim Statuta nostræ Augustiniana Regula interpretationes, & semita, quibus juxta *Canonicum nostrum institutum per præscriptas eadem Regulâ virtutes Evangelicæ perfectionis culmen nobis est contendendum*; uti dicitur in præfat. Undè quamvis ad illorum observationem per se loquendo non obligemur sub reatu culpæ alicujus, sed solum sub reatu pœnæ; uti inibi declaratur: possunt nihilominus singula in illis contenta præcipi per Superiorem sub peccato: imò de facto sic præcepta sunt, quæ ad tria Religionis vota essentialia, & ad communem vitam, aliaq; vitæ Regularis substantialia pertinent. Item quæ à Summis Pontificibus circa reformationem Ordinis sunt constituta, & in virtute Obedientiæ præcepta; cujusmodi sunt silentium in locis & horis constitutis, labor regularis, disciplina capituli, & alia in Bullâ Reformationis Innocentii Papæ III. & Alexandri IV. contenta. Porro quamvis Prælato aliquid mandanti supra vel contra Regulam, vel quod Divinæ aut Ecclesiasticæ legi adversatur, aut alio modo potestatem & Autoritatem mandantis excedit, nemo teneatur in eo casu obedire: Nihilominus quamdiu manifestum & evidens non est, quod res præcepta sit contra Dei vel Ecclesiæ præceptum, aut contra Regulam, Statuta vel decreta altioris potestatis; aut supra legitimam potestatem præcipientis; tunc semper & ubique est Obe-

lone

Obediendum superiori mandanti, quia in dubio, an præceptum sit rationale, iustum & legitimum, stat præsumptio semper pro superiore mandante. Unde constitutiones Societatis Jesu requirunt, ut subditi obediant *in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum*. Neque est necesse, imò nè expedit quidem, ut subditus inquiret, aut sollicitus sit apud se, sit nè bonum & Regulæ vel præceptis Divinis humanisque conforme, quod superior mandat; sed ei abundè sufficere debet, quod res præcepta non appareat manifestè & evidenter mala. *Credas tibi salutare, quidquid Præpositus præceperit: Nec de majorum sententiâ iudices; cuius officium est Obedire, & implere, quæ iussa sunt;* inquit S. Hieronymus *Epist. ad Rustic. Monach.*

214. Formale objectum virtutis Obedientiæ est ipsa Honestas, quæ reperitur in adimpletione voluntatis & præcepti Superioris. Cùm enim non sit potestas nisi à Deo; *quæ autem sunt à Deo ordinata sunt*, teste Apostolo *Roman. 13*, sequitur planè, honestissimum & æquissimum esse, ut subditus mandato Superioris obediat. Unde S. Thomas *q. 104. a. 1.* ait: *Ex ordine Juris Naturalis & Divini teneri inferiores obedire suis Superioribus*. Quia recta ratio ab auctore naturæ Deo nobis in dita id dicat. Nam *quoniam varia sunt hominum ingenia; neq; similiter de rebus utilibus omnes judicant; tollendæ causæ omnis, quæ oriri possit, perturbationis, si uniusquisq; videlicet eum maximè sequi ritum vellet, quem adamasset: illud curandum est; ut aliquis deligatur, qui cœ-*

tert

teris præsist; ut inquit S. Basilius *serm. 2. de Institut. Monachor.*

215. Sunt tamen alia plura adhuc motiva extrinseca & incitamenta, quæ nos ad obediendum inducere possunt ac debent. Primum est necessitas, quam nobis imponit præceptum graviter obligans: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Itaq; qui resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* inquit Apostolus *Roman. 13. Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Undè S. Basilius *serm. 2. de Institut. Monachor. Delatà ad unumquempiam de communi omnium consensu potestate, private cujusq; separatim omnes facessere voluntates debent, seseq; cuncti deinceps ad Magistri sui mentem conformare, & præcepto Apostoli obtemperare; qui excellentioribus potestatibus subjectos esse omnes jubet; cum, qui ipsis resisterint, ipsi sibi ipsi damnationem inveniant.* Nec refert, quod Superiores aliquando sint homines imperfecti, passionati, aut aliis defectibus & vitiis obnoxii. Nam licet juxta doctrinam S. Basilius *serm. 1. de Institut. Monachor. necessario talis aliquis hujusmodi vite moderator deligi debeat, in cujus vitam quicumq; intueantur, omnium virtutum Exemplar ante oculos propositum habeant; & cui ipsa vite conversatio moresq; ex moderatione incanuerint, ut quidquid ab eo dicatur, fiat vè, id cunctis Fratribus pro lege & regula sit: vel, ut idem habet *serm. 2. de Institut. Monachor. Qui**

Ee omnium

omnium testimonio omnibus in rebus prudentiā & gravitate, vitāq; sanctitate cæteris omnibus præstare iudicatus fuerit: quò videlicet virtutis, quæ in ipso est, fructus promiscuè in cunctos redundet. Nihilominus si per electionem imprudentem Fratribus præpositus fuisset Antistes indiscretus, defectuosus & imperfectus, aut etiam malitiosus; obedientia ipsi præstanda esset in omnibus, quæ non sunt apertè mala & peccaminosa; juxta illud Christi *Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei: omnia ergò quæcunq; dixerint vobis, facite: Secundum opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Nam etiam *dyscolis* obedire nos jubet S. Petrus, *1. Epist. c. 2. quia etiam talibus dominandi potestas non datur, nisi summâ Dei Providentiâ, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas; ut inquit S. Augustinus lib. 5. de civitate. 29. Sicut Christus impio Præsidi Pilato respondit Joann. 19. Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Propter quod S. Paulus *Rom. 13. jubet Fideles obedire Magistratui & Imperatoribus Ethnicis & paganis: quia non est potestas nisi à Deo; qui subinde homines etiam impios iustissimis de causis permittit ad Prælaturas evehi propter peccata subditorum; sicut dicit S. Anastasius Sinaita in Psalm. 5. Cum videris indignum aliquem & sceleratum Regem, aut Principem aut Magistratum, aut Episcopum; nè mireris, neq; Dei accuses providentiam; sed discite, & crede, quod propter iniquitates nostras tradimur eiusmodi Tyrannis.*

Quis-

Quiscunque igitur Superior præficiatur, sibi persuasisse Fratres reliqui omnes debent, non fortuito, neque casu, sed Dei voluntate huiusmodi potestatem Antistiti suo fuisse delatam; inquit S. Basilius *serm. 1. de Institut. Monachor.* cui proinde obsequi debent, nihil omnino illius iussa curiosius scrutantes, quando libera sunt à peccato; ut ait idem in *constitut. Monast. c. 23.*

216. Alterum Obedientiæ motivum est, quod ipsi nosmet dirigere, & quæ facienda, vel omit-tenda nobis sunt, sine periculo errandi sæpè non possumus eligere, adeoque necesse habeamus, alterius nos directioni submittere. Sicut ait S. Basilius in *Regul. brevior. interrogat. 119.* Quoniam non potest statuere unusquisque, quid sit, quod è re sua sit, sæpe numero opus illud deligit, quod sibi obstat. Et in *Constit. Monast. c. 23.* Novit, qui intelligens moderator est, uniuscujusque mores & affectus & animi motus diligenter exquirere, & adhuc accommodatum etiam singulis remedium adhibere. Quocirca nullo modo est ejus statutis adversandum; sed illud firmissimè tenendum, rem omnium esse difficillimam, se ipsum cognoscere, & curare, propterea quod naturaliter seipsum quisque amat; & quilibet propterea, quod in seipso propensi sunt, in veritatis judicio fallantur. Porro ab alio cognosci, curarique facile est; cum illis, qui ceteros judicant, ad discernendam veritatem nequaquam obstat amor sui ipsorum.

217. Tertium motivum est, quod inobedientia præter contemptum Dei & superioris, communiter etiam scandalizet fraternitatem. Et

quidem de contemptu ipsius Dei ait S. Basilius in  
*Regul. brevior. interrogat. 38.* Tibi persuadeto,  
 quod quidquid sive contumaciae sive inobedientiae  
 religiosus adhibet, non adversus hominem adhi-  
 bet, sed adversus ipsum Dominum, qui dixit:  
 Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me  
 spernit. Quia nihil est aliud Antistes, quam is,  
 qui personam Christi sustinet; ut ait idem in *Con-  
 stitut. Monast. c. 23.* Quod verò inobediens con-  
 temnat etiam Superiorem loco Dei præcipientem,  
 significat idem Basilius in *Regul. sus. inter-  
 rogat. 28.* dicens: Antistitis imperium detredare,  
 & verbis adversum iussa ipsius litigare, magno in-  
 dicio est, eum, qui id faciat, multis vitiis laborare,  
 fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantia,  
 morum atq; superbia: Neq; enim alterius dicto au-  
 diens unquam esse quisquam recusabit, nisi prius  
 ipsum sibi consilii authorem apud seipsum despe-  
 xerit. Addit Apostolus *Hebr. eor. 13.* Subditum  
 inobedientem contristare & affligere etiam suos  
 Superiores in propriam inobedientis perniciem:  
 ait enim: *Obedite Præpositis vestris, & Subjace-  
 te eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro  
 Animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc fa-  
 ciant, non gementes: hoc enim non expedit vobis.*  
 Quod denique etiam inobediens scandalizet Fra-  
 ternitatem, & pessimum aliis exemplum præ-  
 beat, declarat idem Basilius in *Regul. brevior. in-  
 terrogat. 19.* cum enim proposuisset: an liceat  
 alicui assignatum sibi opus recusare? respondet:  
*Omnino hic obedientiam violat, & aperte decla-  
 rat, nequaquam seipsum abnegasse; tum etiam*  
 aliorum

aliorum complurium malorum cum sibi tum aliis  
 author existit: nam & reliquis januam ad contu-  
 maciam contradictionemve patefacit. Et in Re-  
 gul. fus. interrogat. 47. Si qui diutius in contuma-  
 cia haeserit, adversus Antistitem clam queruli, hi  
 perinde ac disceptationis inter fratres exorta au-  
 thores, aut qui certissimam auctoritatem colli-  
 serint, aut labefactarint ejus, quae majorum debe-  
 tur praeceptis, Obedientiae, ac velut rebellionis &  
 inobedientiae Magistri prorsus à reliquâ fratrum  
 familiâ exiguntur. Item interrogat. 24. Qui est  
 sub alterius ditione, eum scire convenit, se, si  
 contumax fuerit, neutiquam illud impunè laturum;  
 in majore autem periculo versari, si alios  
 etiam praeterea scandalizet. Denique in Regul.  
 brevior. interrogat. 119. in unversum obedi-  
 entiam abjicere, multorum ac magnorum malorum  
 radix est. Verùm si causam se aliquam habere pu-  
 tat, quam ob rem opus recuset, hanc magistris in-  
 dicato, eamq; illis disceptandam relinquit.

218. Quartum motivum, est securitas nostra  
 in operando, & immunitas à periculo peccandi.  
 Nam licet superior aliquis possit & soleat subinde  
 errare ac peccare in jubendo; subditus tamen  
 procedit securus in exequendo illud, quod Su-  
 perior jussit; certusque est in conscientia, se non  
 errare quoad substantiam operis; adeoque in se-  
 renissimo Dei Tribunali non exiget ab eo Judex,  
 cur hoc illudvè fecerit? sed tunc respondendi o-  
 nus soli superiori incumbet, qui tale opus man-  
 davit fieri. Undè de Superioribus ait S. Paulus  
 Hebraeor. 13. *Ipsi pervigilant, quasi rationem pro*  
*E e 3 ani-*

animabus vestris reddituri. Et S. Augustinus in Regula: *semper cogitans (Prælati) Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Unde magis obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini; qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur.* Tradit id etiam apertis verbis S. Joannis Climacus Grad. 4. dum ait: *Obedientia est inexaminatus atq; indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio, confectum ad dormiendum iter.* Et infra: *Quicumq; sarcinam vestram alterius collo imponere satagitis, quicumq; aliorum manibus sublatis, & natantes hoc mare magnum trajicitis; scitote, quod brevem quandam & asperam viam pergere conamini; in qua unus & solus latet error, quem suimet moderationem dicere possumus; cum scilicet quisq; sibi idoneus ad sergendum & moderandum videtur.*

219, Quintum obedientiæ motivum est ingens meritum, & huic correspondens in cælo præmium: quia per obedientiæ votum homo offert ac mactat Deo, quod habet optimum, nempe propriam ac liberam suam voluntatem seu libertatem. Unde *melior est obedientia, quam victima* 1. Reg. 15. *quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur; ut inquit S. Gregorius lib. ult. moral. c. 12.* Et juxta S. Thomam q. 104. *Cum sint tria genera humanorum honorum, que contemni possunt propter Deum; quorum infima sunt externa bona; medium bona corporis; supremum* verò

verò bona Anima, inter quæ præcipuum est voluntas. Laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit & vincit propriam voluntatem, quàm alia vitutes morales, quæ propter Deum aliquas alia bona contemnunt. Accedit insuper alia ratio; quia scilicet major se offert difficultas in abnegatione propriæ voluntatis, quàm in renuntiatione aliorum bonorum; adeoque etiam major requiritur vis, labor & conatus ad vincendam hanc difficultatem; atque ideò victoria hominis de se ipso existit gloriosior, *Vir enim obediens loquetur victoriam, Proverb. 21. Quia dum aliena voci subdimur, nosmetipsos in corde superamus*; ut inquit S. Gregorius lib. 35. moral. c. 10. scilicet fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mania; ut canit Poëta. Et juxta eundem S. Gregorium homil. 32. in Evangel. Fortasse laboriosius non est homini relinquere sua: sed valde laboriosum est relinquere semetipsum, minus quippè est, abnegare quod habet: valde autem multum est, abnegare quod est.

220. Sextum motivum est Exemplum Filiæ Dei in terrâ conversantis; cujus imagini Deus vult conformari omnes filios adoptivos; ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus. Roman. 8. Dicit autem de Obedientia illius Lucas c. 2. *Descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis.* Scilicet ab Anno Christi duodecimo usque ad trigésimum non fit mentio alterius dicti aut facti ipsius, nisi solius Obedientiæ; quod datur intelligi, quod Christus toto illo tempore

intermedio se exercuerit in operibus Obedientiae. De ipsius Obedientia erga Patrem caelestem testatur S Paulus *Philipp 2. Factus obediens usq; ad mortem; mortem autem crucis.* Ipse vero de se ait *Joann. 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.* Et *Joann. 5. Non quero voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me.* Item *Joann. 6. Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me.* Porro advertendum est homini Religioso, qui Christum sequi, & illius imaginem portare, atque ipsum prorsus induere decrevit, quod Obedientiae per caelestem Patrem Christo impositae, non fuerint ad Officia in hoc mundo honorata, non ad splendidas functiones, non ad munia cum favore & plausu hominum conjuncta, non ad corporis commoditates & oblectationes (cujusmodi favorabiles obedientias multi hoc tempore affectant, quaerunt, & per occultos non raro cuniculos sub speciosis titulis sibi apud Superiores procurant.) Sed injunctae fuerunt Christo Dei Filio obedientiae admodum molestae, difficiles, arduae & onerosae, videlicet ad opprobria, contradictiones, convitia, irrisiones & ludibria, contemptum & vilipensiones, persecutiones, ac demum ad ignominiosissimam crucis mortem cum latronibus subeundam. Propter quod gaudere & nobis ipsis gratulari ex animo deberemus, si videremus, aliis Fratribus nostris per Superiores injungi officia splendida, functiones honorificas, aliasque obedientias commodas, favora-

vora-

vorabiles, gratas & acceptabiles; nobis autem præcipi opera & functiones odiosas, viles, contemptibiles, molestas, incommodas, cum nullo corporali interesse, favore, aut plausu hominum conjunctas. Hac enim ratione propius accedimus ad Imaginem & similitudinem Filii Dei; & in spe prædestinationis nostræ magis roboramur, quod simus Filii Dei adoptivi, Hæredes Regni, cohæredes autem Christi: *Nam quos Deus præscivit; hos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Roman. 8.*

221. Sunt autem tres Obedientiæ gradus à Novitiis & Tyronibus conscendendi: Primus dicitur *Obedientia operis*. In quo inveniuntur illi, qui opus per Superiorem sibi injunctum exequuntur & perficiunt quidem secundum substantiam & circumstantias totaliter, integrè & completè, ita ut nulla pars aut circumstantia exterius requisita desit; verùm illubenter, animo invito & reluctante, ac cum aliquo renisu & repugnantia voluntaria. Qui gradus procul dubio valdè adhuc est imperfectus, ac sæpè cum contradictione & murmuratione saltem occultâ est conjunctus. Imò qui opus aliquod illubenter & contra voluntatem facit, is in proximo est, ut illud absente inspectore vel planè omittat, vel obiter solùm & perfunctoriè faciat, serviens duntaxat ad oculum. Quomodò legimus in Evangelio de quodam, qui patri jubenti, ut iret ad vineam, & operaretur, respondit: *Eo Domine; & non ivit. Matth. 21.*

Secundus gradus dicitur *Obedientia voluntatis*;

*Ee 5*

*tis;*

tis ; & consistit in hoc , quod quis opus ex-  
 terum exequatur etiam libenter , animo promp-  
 to , alacri , ac cum propensione voluntatis ; sicut  
 ait S. Basilius in Regul. fus. interrogat. 24. *Qui  
 est sub alterius ditione , debet studium suum abje-  
 ctā prorsus omni cunctatione alacriter praeferre.*  
 Et S. Ephrem de vita Spirit. *Nos , qui disci-  
 mus , & aliorum imperio subiecti sumus , ad pa-  
 rendum prompti esse debemus , & ab omni contu-  
 maciā alieni. Eo quisq. plus proficit , volunta-  
 tem suam magis dejicit atq. submittit.* S. Co-  
 lumbanus in Reg. c. 3. ait , opus injunctum quam-  
 vis durum & arduum sit , fervore & letitia ac-  
 cipiendum esse , quod si talis non fuerit obedi-  
 entia , non erit acceptabilis Deo ; quia hilarem da-  
 ctorem diligit Deus. 2. Corinth. 9. ut potè qui non  
 tam opus respicit & datum , quam operantis &  
 tiantis voluntatem. *Verus obediens , inquit S.  
 Bernardus serm. de Obedient. mandatum non pro-  
 crastinat ; sed parat aures auditui , linguam vo-  
 ci , manus operi , pedes itineri , hic se totum in-  
 tra se colligit , ut mandatum peragat imperantis.*  
 Et S. Basilius serm. de Abdicat. *Aures assidue  
 ad audienda ea , qua imperentur , attentas ha-  
 beo ; itemq. manus ad ea , qua jussa sint exequen-  
 da expromptas.*

Tertius gradus est *Obedientia intellectus* , quæ  
 præter voluntatis inclinationem , promptitu-  
 dinem , & alacritatem requirit , ut insuper pro-  
 prium nostrum judicium abdicemus , illudque  
 Prælati judicio subiciamus , & conformemus ,  
 credentes , illud solum esse optimum & expe-  
 dien-

dientissimum, quod Prælati iusserit. Quæ ab  
 Asceticis vocari solet *Obedientia cæca*; quia sub-  
 ditum obedientem efficit quodammodo cæcum;  
 dum privat eum oculo propriæ discretionis, ut  
 non discernat vel discutiat rationem & causam  
 Superioris præcipientis, nec qualitatem & con-  
 ditionem præcepti; sed iudicium & voluntatem  
 Superioris esto unicâ Regulâ habeat, & cæco  
 modo quasi oculis clausis simpliciter obediat in  
 omnibus, in quibus manifesta ratio peccati non  
 apparet. *Vera Obedientia nec Præpositorum in-  
 tentionem discutit, nec præcepta discernit: quia  
 qui omne vitæ suæ iudicium majori subdidit, in  
 hoc solo gaudet, si, quod præcipitur, operatur:  
 nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit  
 obedire*; inquit S. Gregorius lib. 2. c. 4. in 1. Reg.  
 Propter quod S. Joannes Climacus Grad. 4. Obe-  
 dientiam vocat *inexamiatum atq; indiscussum  
 motum, vitam curiositate carentem, & discretio-  
 nis depositionem*. S. Basilius in *Constit. Monast.*  
 c. 20. requirit, ut Religiosi diligentissimè obtem-  
 perent *Antistiti, neq; ab eo illorum, quæ sibi im-  
 perantur, rationem reposcant*. Et cap. 23. ait:  
*Quemadmodum pastoris oves obtemperant, &  
 viam, quamcunq; ille vult, ingrediuntur: sic qui  
 pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi  
 debent, nihil omnino illorum iussa curiosius per-  
 scrutantes, quando libera sunt à peccato*. S. Hie-  
 ronymus *Epist. ad Rustic. Monach.* ait: *Præposi-  
 tum Monasterii timeas ut Dominum, diligas ut  
 parentem. Credas tibi salutare, quidquid ille  
 præceperit; nec de Majorum sententia iudices*.  
 Dent

Denique S. Bernardus *lib. de precept. & dispens.* fatetur, imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis indicium esse, statuta Seniorum studio-  
sius discutere; harere ad singula, quæ injunguntur; exigere de quibuscunq; rationem; & male suspicari de omni precepto, cuius causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imò molesta est hujuscemodi Obedientia. Non tamen repugnat etiam perfectioni virtutis aut voti obedientiæ, si in casu, quo Superior præcipere videtur aliquid supra vires subditi, aut cum periculo animæ conjunctum, subditus ei vicissim candidè & fideliter proponat gravamina sua & rationes in oppositum; dummodo hujusmodi propositio fiat cum modestiâ, humilitate, plenâ subjectione, resignatione, & indifferentia ad quamlibet Superioris resolutionem acceptandam. Si causam se aliquam habere putat subditus, quam ob rem opus recuset; hanc magistris indicato, eamq; illis disceptandam relinquit; inquit S. Basilius in *Regul. brevior. interrogat. 119.* Et in *Constit. Monast. c. 28.* Potestatem sui ipsius nè ad punctum quidem temporis habere Monachus debet. Quemadmodum enim absente artifice instrumentum suâ sponte ipsum non moveretur: similiter quoq; neq; Religionis observanti aliquid agere exequitur sine Antistitis sui sententia licet. Quod si causam afferat, ac dicat, se præ imbecillitate corporis exequendis imperatis parem esse non posse;

posse; infirmitatem suam Antistiti judicandam  
 permittet; secum reputans illud Scriptura: Non-  
 diu usq; ad sanguinem restitistis: propter quod re-  
 missas manus. & soluta genua erigite: se ipsum ad  
 ea, quæ sibi imperata sunt, exequenda adhorta-  
 bitur. Imò Superiorum hæc voluntas esse debet  
 & desiderium, ut eorum subditi candidè & syn-  
 cerè manifestent illis suam insufficientiam siue  
 physicam siue moralem, si quæ subesse videa-  
 tur: ne videlicet in distribuendis Obedientiis aut  
 committendis officiis error aliquis perniciosus  
 intercurrat. Dicitur enim obedientia cæca non  
 propterea, quod Superiores cæco modo in ju-  
 hendo procedere, ac sine discretione cuiuslibet  
 possint quodlibet præcipere: Oportet eum, qui  
 præst, non frenam laxare suæ voluntati super sub-  
 ditos; sed imperia sua moderari circa id solum,  
 quod rectum esse constiterit; inquit S. Bernardus  
 de præcept. & dispensat. Et S. Basilius in Constit.  
 Monast. c. 22. Illud observare Antistes debet, nè  
 in imponendis gravioribus, quàm quibus susti-  
 nendis pares Fratrum corporis vires sunt, impe-  
 ratis, eos, qui ea ferre non possunt, ad abjicien-  
 dam obedientiam per contradictionem instiget;  
 sed perinde ut verus ac legitimus Pater, æq; in  
 cunctos benevolus, vires corporis cujusq; consi-  
 derare atq; ita munera singulis imponere ac distri-  
 buere debet. Veruntamen gravissimè plectentur  
 ii, qui quas à Deo datas sibi corporis vires habent,  
 malitiosè celant. Quod si verò Prælati & Supe-  
 rior rationibus subditi auditis & consideratis  
 pergat nihilominus injunctam obedientiam ur-  
 gere;

one

gere; tunc subditus se poterit solari verbis & doctrinâ S. Basilii in Regul. fus. interrogat. 28. dicentis: Ubi quis semel se in reliquum fratrum corpus coaptandum tradiderit; is si membrum postea ad ministrandum aptum iudicatum fuerit, esto, quod ipsi impositum sit, vires ipsius superare videatur, de iudicii periculo prorsus illam esse sollicitum finito, qui ea imperet, quibus vires sue pares esse non possint. Ipse autem parendo obediendoq; pro virili alacritatem declarat studii sui usq; ad mortem; memoriâ assidue Dominum tenens, qui factus fuit obediens usq; ad mortem.

222. Media autem, per quæ ad tertium hunc gradum obedientiæ ascenditur, sunt sequentia: Primû est assidua & quotidiana pugna contra voluntatem, quam S. Hieron. docuit Rusticum Monachum Novitium his verbis: *Non facias, quod vis, subiciare cui non vis.* Et Joan. Cassianus lib. 4. Institut. c. 8. tradit, Senioris seu Magistri Novitiorum sollicitudinem esse debere principalem, ut scilicet doceat eos primitus suas vincere voluntates, hæc semper illis de industria imperando, qua senserit animo illorum esse contraria. Errant igitur toto cælo, qui obedientiæ virtutem possidere volunt: nec tamen voluntatem propriam mortificare, & abscindere contendunt. *Quisquis vel apertè vel occultè sagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritalis Pater injungat; ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim in eâ re ipse Prælati, sed magis ei Prælati obedit; uti benè advertit S. Bernardus serm. de tri-*

bis

*buordin.* Propter quod tam paucos hoc tempore perfectos in virtute obedientiæ videmus, etiam inter eos, qui in monasteriis incanuerunt ita ut Superiores jam aliã planè viã procedere, necesse habeant cum senibus, quam olim processerint antiqui Patres. De quibus refert Joannes Climacus *Grad. 4.* quod non solum mitiores non extiterint ergã seniculos, & octogenarios viros; sed etiam difficiliore illis obedientias injunxerint. *Videres, inquit, in eis terribile quoddam, Angelicumq; spectaculum, senes canitie venerandos, augustiore facie, infantium in morem ad obediendum semper paratos, huc illucq; discurre-re, vidi illic viros quinquaginta ferè annos in obedientiã certamine egisse, extrinsecus quidem mitestotos, blandos, placidos, letos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in suis verbis aut moribus habentes; interius verò in animã Deum ipsum, ac Prælatum infantum in morem ambientes. Quorum unum Abbas sub initium prandii ex proximã mensã advocans, ante mensam sine cibo stare permisit prolixam horam, atq; fortasse duas, usq; ad refectionis finem; adeo ut ipse quoq; erubescerem. neque in illius faciem intueri præ verecundiã possem: erat enim canus totus, octogesimumque jam agebat annum. Nostris autem temporibus debent Superiores ita cautè & molliter agere cum suis subditis adultioribus, ut necesse habeant eos rogare, quando opus ali-quod ipsis volunt injungere. Uti multis deplorat S. Bernardus *serm. 1. de convers. S. Pauli*, expendens illam Apostoli vocem: *Domine, quid me**

me

me vis facere? ait enim: Quam pauci inveniuntur in hac perfecta Obedientia formulâ, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut nè ipsum quidem cor proprium habeant; ut non quod ipsi, sed quod Dominus velit, omni horâ requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere? Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quam novi Apostoli imitatores! Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi? sic profectò sic multorum usq; hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis queri oporteat: Quid vis, ut faciam tibi? non ipsi, quarant: Domine, quid me vis facere? considerare necesse habent ministri & vicarii Christi, quid tales sibi præcipi velint; non ipsi considerant, quæ sit voluntas Præceptoris. Non est Obedientia eorum plena; non in omnibus parati sunt obsequi; non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant; eligentes, in quibus obediant imperanti, imò in quibus Præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Qui ergò ad perfectam obedientiam voluntatis pertingere desiderat, is à primis suæ conversionis annis omnem propriam suam voluntatem abscondat, & se totum Superioris voluntati submittat; quemadmodum narrat S. Doctrotheus doctrinâ 4. se à juventute suâ fecisse, & per hoc jure exercitium eò pervenisse, ut nullam amplius difficultatem sentiret in quocunq; Antistitis sui imperia perficiendo. Cumque propterea valdè anxius esset, eò quod nihil ei amplius difficile accideret, respondit ei suus Abbas

Joan.

Joannes: Illos esse pacatissimos, jucundissimos, ac  
quietissimos, qui se in patrum obedientiam tradi-  
dissent.

223. Secundum medium est assidua & quo-  
tidiana pugna contra proprium iudicium & sen-  
sum; quo prudentes sumus in oculis nostris &  
iudicamus nos intelligere rem melius, quam su-  
periores, vel quicumque alii intelligant. Quam  
enim necessarium sit hoc medium ad obedientiam  
obtinendam, docet S. Bernardus *Epist. ad Fratres  
de Monte Dei*, ubi a Novitio requirit, quatenus  
stultus fiat, ut sit sapiens; & hac omnis sit ejus  
discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio: Novi-  
tius enim discretus & prudentulus, qui putat  
se aliquid scire & sapere, ideoque iussa Magistri  
sui dijudicat, impossibile est, ut in congrega-  
tione duret & diu persistat. Quæ S. Patris ver-  
ba quam vera sint, experiuntur ipsi Novito-  
riorum Magistri; & jam pridem tradiderunt  
Patres antiqui; qui propterea suos Tyrones diu  
noctumque in hac pugna contra iudicium proprium  
exercuerunt; sicut de S. Antonio scribit Ruf-  
finus in *vitis Patrum lib. 2. c. 31.* quod præce-  
perit Paulo cognomento Simplici, Novitio se-  
xagenario, ut tota die aquam ex puteo hauri-  
ret, & haustam rursus in terram effunderet;  
sportellas contexeret, & contextas resolveret,  
ac retexeret; vestimenta dissueret, & resueret;  
urnam mellis frangeret, & mel in terram effu-  
sum ita colligeret conchâ, ut tamen simul sor-  
des non colligerentur. &c. De alio quodam  
Novitio refert Sulpitius 1, *Dialog. c. 13* Quod  
Ff Ab-

ione

Abbas ipſius virgam aridam deſixerit in terram, & jufferit, ut Novitius virgam aquâ quotidie ex Nilo flumine allatâ tandiu irrigaret, donec in ſolo arente viresceret; quod & tertio anno factum eſt, approbante ſcilicet Deo per miraculum in Novitio tantam judicii proprii captivationem & ſubjectionem; utpote qui firmiter ſibi perſuaſerat, facilius poſſe fieri, ut virga arida contra naturam ſuam reſſoreret, quàm ut ſententia & judicium Abbatis ſui à vero aberraret. Porrò in hac quotidianâ contra judicium proprium pugnâ plurimum juvat ad victoriam de illo obtinendam, ſi quis ex reflexione ſuper frequentibus ſuis in judicando erroribus commiſiſ, incipiat proprio ſuo judicio diffidere, & hoc de errandi periculo ſuſpectum habere. *Conſidera quoties tuum judicium ſequens erraſti; inquit S. Ambroſius in c. 12. ad Roman. Econtra verò alterius præſertim Majoris ſententiam admittens, utile & honeſtum attigiſti: & ex tuis præteritis caſibus diſce proprium ſenſum declinare.*

224. Tertium medium ad Obedientiam eſt, ut præpoſitos & Superiores noſtros magni apud nos ipſos faciamus, bonam ſemper de illis opinionem & eſtimationem habeamus, nec unquam illorum dicta vel facta dijudicare præſumamus; ſicut nos docuit S. Joannes Climacus *Grad. 4.* dicens: *Cum pietatis & Obedientie ſtudium fuerimus ingreſſi; minimè jam optimum inſtitutorem noſtrum in aliquo penitus dijudicare licebit, etiã ſi in illo (homo enim eſt) modica ali-*  
qua

qua uelociter animadvertimus. Cum tibi cogitatio  
 suggererit, ut Prælatum aut diiudices, aut dam-  
 nes; ab eâ non secus, quàm à fornicatione desili, neq̃  
 prorsus huic serpenti requiem præstes, non lo-  
 cum, non ingressum, non initium. Loquere ad hu-  
 jusmodi Draconem, atq̃ eum his verbis laceſse: ô  
 malignissime seductor, non ego ducem meum judi-  
 candum suscepi, sed ille me; non ego illius, sed il-  
 le mei iudex est. Graviter igitur errant, qui Su-  
 periorum Consilia, dispositiones & ordinatio-  
 nes tum circa se, tum circa alios in spiritualibus  
 vel temporalibus inquirunt, taxant, carpunt  
 aut reprehendunt, quasi Superiores rem non in-  
 tellexerint & penetraverint sufficienter, non  
 consideraverint circumstantias, non attende-  
 rint ad personam & ejus vires, merita &c. pro-  
 ceſſerint ex passione iræ, vel amoris; quæſive-  
 rint seipſos; respexerint ad carnem & langui-  
 nem &c. Qui enim talia de suis Superioribus ju-  
 dicia formant, nunquam ad perfectam Obedien-  
 tiam pertingent; sed non solum frequenter apud  
 seipſos murmurabunt, verum & alios murmu-  
 rare facient; prout advertit S. Basilius in Regul.  
 sus. interrogat. 31. dicens; Ne quis facile in hu-  
 jusmodi vitium secus de Antistite suspicandi, aut  
 diiudicandi cum detrimento tum suo tum reliquo-  
 rum etiam Fratrum incurrat; illud in univer-  
 sum observari in conventu debet, ut nullo modo  
 quis curiosè Antistitis consilia perveſtiget, aut in  
 ejus facta anxie inquirat; iis duntaxat exceptis,  
 qui tum dignitatis gradu, tum consilii prudentiâ  
 Antistiti ipsi proximi sunt. Cum enim illi animas

Ff 2

no-

nostras gubernandas commissimus, tanquam Deo de iis rationem reddituri; prorsus absurdissime facimus, si huic fidem in rebus contemptissimis abrogamus; & cum ipsi factis adversus fratrem nostrum suspicionibus impleamur; tum reliquos exemplo nostro, ut idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eveniat; unusquisque maneat in ea vocatione, in qua vocatus est; & cum animum suum totum in rerum ad se pertinentium cura occupaverit, minimè in aliorum consiliis inquirendis sit curiosus.

225. Quartum medium est, ut in Superiore nostro Deum loquentem, consulentem, præcipientem, aut prohibentem agnoscamus, intueamur, & revereamur: quiscunque enim Superior & Præpositus vices Dei gerit, & Dei minister est; ut inquit S. Paulus Roman. 13. Et nihil est aliud Antistes, quam is, qui personam Christi sustinet; teste S. Basilio in Constitut. Monast. c. 23. adeoque quidquid sive contumaciæ adhibet sive inobedientiæ subditus, non adversus hominem adhibet, sed adversus ipsum Dominum, qui dixit: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; ut ait idem Basilius in Regul. brevior. interrogat. 38. Et quidquid vice Dei præcipit homo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus; juxta S. Bernardum lib. de præcept. & dispensat. Quomodo jussa Antistitis accepit Religiosus ille senex apud Climacum Grad. 4. Qui cum à B. Joanne Climaco interrogaretur, quid cogitasset sub acceptatione & executione suæ Obedientiæ per Superiorem injunctæ? respondit: Christi imagi-  
nem

nem Pastori imposui; neq̄ enim ab illo præceptum hoc penitus exiisse, sed à Deo existimavi. Quare nullam penitus malignam cogitationem adversus Pastorem admittebam, pro sincerâ in illum fide meâ & Charitate. Atque hoc est, quod S. Paulus docet servos Christianos. *Ephes. 6.* ut Dominis suis carnalibus obediant in simplicitate cordis, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus. Nam etiam Domini carnales & dysscoli 1. *Petri 2.* repræsentant personam Dei; imò magistratus quoque infideles & pagani ministri Dei sunt, in hoc ipsum servientes, ut voluntatem Dei nobis declarent, benè operantes præmient. & malè agentes puniant. *Roman. 13.* ut ita nullam excusationem habeamus & prætextum aut causam detrectandi obedientiam nostris Spirituibus Superioribus, etiamsi fortè hi non essent ad eò bonæ & inculpatæ vitæ; cùm Deus etiam per impium Caipham sit locutus, eò quod illo anno esset Pontifex & Superior. *Joann. 18.* jusseritque servare & facere omnia, quæcunque Scribæ & Pharisei super cathedram Moysi sedentes dixerint; quia in tali cathedra constituti repræsentabant ipsum Deum loquentem. *Matth. 23.* licet malæ essent vitæ. Undè Christus ait: *Omnia quæcunq̄ dixerint vobis, servate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere.* Neque nocere ullatenus subditis potest Superioris præcipientis malitia, aut sinistra intentio; quia etiam

in casu, quo Prælati per injunctionem alicujus operis vel officii quæreret ac expressè intendere obesse subdito in Spiritualibus aut temporalibus, essetque in jubendo passionatus indiscretus, malitiosus, inconsideratus, fraudulentus &c. fraus tamen illius, aut inconsideratio, præcipitancia, passio vel malitia & intentio nocendi nec minimum spirituale damnum adferre potest subdito in simplicitate cordis ambulanti & obediendi; sed Deus fraudum vel errorem aut etiam malitiam Superioris vertit in utilitatem subditi, & ex malo bonum eliciet: ita ut hic in veritate possit dicere cum Josepho. *Genes. 50. Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum.* Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Roman. 8.* etiam malorum persecutio, odium, dolus, insidiæ, vexatio, & quæcunque machinationes.

226. Quintum ad obedientiam medium est vera animi indifferentia ad quævis munia, functiones, loca, personas, & ad omnes omninò res hujus mundi, ita ut erga nullam sive præsentem sive absentem afficiamur inordinatè; sed cum perfectâ animi libertate & resignatâ voluntate simus tam parati ad dimittendum, quod tenemus, quàm ad retinendum; tam parati & contenti carere, quàm frui re quâcunque desiderabili. Quod enim subindè aliqui superioribus præcipientibus non perfectè aut non libenter obediunt; sed eorum ordinationi & dispositioni contradicant, submurmurent, & de obedientiâ impositâ conquerantur; communiter indè pro-

provenit, quod ad unam aliquam rem, personam, locum, functionem aut officium inordinate afficiantur, & voluntate suâ nimis in unam partem propendeant: Nam si in æquilibrio starent, non foret difficile, eos ad nutum superioris in quamcunque partem inflectere; sicut hortulanus aliquis plantam rectâ crescentem, ac in nullam partem magis inclinantem flectit absque violentiâ, in quamcunque partem voluerit. Undè Humbertus in *epist. trium votor. c. 5.* suos hortatur: *Sitis sicut aurum ductile, & quasi virga flexilis, quæ recta & curva redditur ad libitum artificis. Sitis sicut rota volubilis, quæ secundum impetum spiritus movebatur. Sitis ut jumentum apud Deum: onus dorso indifferenter quodlibet imponatur.* Et S. Ignatius Patriarcha ad Jacobum Lainium: *Ita nos convenit esse indifferentes, ut non magis in hanc, quam in illam partem inclinemus. Si ego me ad missionem Indicam, uti tu te sentis, impelli ac trahi sentirem; in partem potius contrariam inclinare satagerem; ut ad illam equalitatem indifferentiamque pertingerem, quæ ad obedientiæ perfectionem obtinendam, necessaria est.*

## §. 16.

De quinto medio ad operandum ex charitate Dei, quod est amoris proprii extirpatio.

227. **A**mor proprius sive privatus dicitur, qui non Dei, aut proximi bonum quærit; sed

E f 4

sed propria tantum utilitati studet; ita ut sola & tota appetendi alicujus boni, aut fugiendi alicujus mali ratio & causa sit ipsius appetentis vel fugientis propria commoditas, voluptas, exaltatio &c. Quantoperè vero hic amor adverteretur illius charitati Dei ac proximi, ostendit Apostolus. 2. *Timoth.* 3. effectibus illis, dicens: *Erunt homines seipfos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, non obedientes, ingrati, scelesti sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei.* Ex amore proprio nascitur sui ipsius nimia æstimatio; quâ quis existimat, se aliquid esse, qui cum nihil sit. *Galat.* 6. Suspiciens videlicet dona sua supernaturalia, aut talenta naturalia, vires, labores, doctrinam, prudentiam, in rebus gerendis dexteritatem &c. Ex amore proprio nascitur voluntas & appetitus, quo quis cupit ab aliis amari, laudari, honorari, propter seipsum. Ex amore proprio nascitur inanis timor, quo quis metuit contemptum & vilipensionem, propter seipsum. Ex amore proprio nascitur inepta erubescencia, quâ quis præposterè erubescit de suis defectibus omni prorsus culpâ carentibus; quales sunt deformitas corporis, parentum paupertas, patriæ & generis ignobilitas, ingenii hebetudo &c. Ex amore proprio nascitur vitiosa absconditio eorum, quæ hominis existimationem diminuere possunt; puta cû quis negat vel tacet suos defectus morales & errores, inclinationes, & vitiosas propensiones, quando Superioribus

eas

eas n  
feitur  
homi  
turi v  
suam  
torio  
Ex ar  
in Bo  
tem,  
prop  
quo l  
dore  
esse c  
prio  
tatur  
cessa  
priu  
Omn  
Chri  
nos  
vesti  
cario  
1. Co  
quoa  
ceo,  
mult  
22  
ris p  
De q  
& no  
autem  
scrip  
per de

eas manifestare debet. Ex amore proprio nascitur *cura nimia* poliendi & perficiendi ea, quae homines in nobis sunt visuri, vel à nobis audituri v. g. si quis nimiam angatur sollicitudine circa suam concionem elaborandam, ut coram auditoribus laudem habeat, vel dedecus effugiat. Ex amore proprio nascitur *propensio immoderata* in Bona temporalia ad superfluitatem, vanitatem, ostentationem, aut voluptatem. Et amore proprio nascitur *appetitus honoris, dignitatis &c.* quo homines seipso amantes, anhelant ad splendorem hujus saeculi, optantque in magno loco esse coram mundanis. Denique ex amore proprio nascitur *appetitus voluptatum* & commoditatum corporis illicitarum, aut saltem non necessariorum. Contra hunc igitur amorem proprium conquerens idem Apostolus *Philipp. 2.* ait: *Omnes, quae sua sunt, quarunt, non quae Jesu Christi.* Ac propterea ad illius extirpationem nos adhortatur. *Roman. 15.* dicens: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem: etenim Christus non sibi placuit.* Et *1. Corinth. 10.* *Nemo quod suum est, querat, sed quod alterius: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quarens quod mihi utile est, sed quod multis.*

228. Porro efficacissimum remedium ad amoris proprii extirpationem est odium sui ipsius. De quo Christus *Luc. 14.* *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et *Joann. 12.* *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo,*

Ef s do,

lone

do, in vitam aeternam custodit eam. Qui enim odit se ipsum, is non horret difficultates & molestias in adimplendo præcepto charitatis erga Deum & proximum; non refugit labores pro Deo & fratribus subeundos; non quærit proprias commoditates, & voluptates corporis; sed in vindictam suorum peccatorum studio & de industria eligit, quod magis est incommodum & afflictivum; non etiam vult honorari & reputari ab hominibus; sed potius dolet de honore sibi impenso, & quærit à summis ac imis vilipendi; verborgerit se erga se ipsum, sicut inimicus erga inimicum. Quomodo fecerunt olim Patres & Prædecessores nostri, qui loca maximè incommoda elegerunt ad habitandum, laboribus diurnis & nocturnis se fatigârunt, solis leguminibus & aquâ victitârunt, vestium asperitate & strati duritie carnem domârunt, operibus manualibus incubuerunt, aliasque difficultates & molestias voluntaria perpessi, ac pio se odio persecuti sunt; ut charitatem erga Deum & proximum exercerent; sicut legitur in prato spirituali apud Sophronium, & in vita S. Hilarionis apud Hieronymum. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terra;* inquit Apostolus *Hebraeor. 11.* de quibusdam sanctis in lege veteri. De suo autem in seipsum odio scribit. *1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Et *2. Corinth. 11.* post varia vitæ pericula recensita subdit, qualiter fuerit *in laboribus plurimis & ærumnis, in vigi-*

vigili  
infrig  
nibus  
facere  
sed ma  
stenta  
nè qu  
aut Ne  
Non q  
Corint  
Qua  
ficient  
per ch  
fert, o  
sunt. r  
incipie  
de pot  
pristin  
mineru  
peccat  
dulseri  
post co  
quada  
ventur  
runt, &  
mine f  
etiam c  
catis se  
perum  
tum A  
vestra  
quitate

*vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate. Cumque liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit, ut plures lucrifaceret; neque victum ab aliquo gratis accepit; sed manibus suis laborans, necessaria ad vitæ sustentationem sibi procuravit; omnia sustinens; nè quod offendiculum daret Evangelio Christi, aut Neophitos in aliquo gravaret. 1. Corinth. 9. Non quærens, quod sibi utile, sed quod multis. 1. Corinth. 10.*

Quamvis autem hoc spirituale odium in proficientibus & perfectis conservetur & augeatur per charitatem Dei & proximi, quæ omnia sustinet, omnia sustinet; & non querit, quæ sua sunt. 1. Corinth. 13. Nihilominus in Novitiis & incipientibus excitari ordinariè solet & commode potest per memoriam sive recordationem pristinorum peccatorum suorum: dum enim meminert, quàm graviter & sæpè lapsi sint in peccata mortalia, eò quod sibi ipsis nimium indulserint, appetitui sensitivo frœna laxaverint, post concupiscentias suas iverint &c, tunc justâ quadam indignatione contra seipsos commoventur, vindictam de se sumunt, se ipsos odert, & non solum quævis adversa à Deo vel homine sibi obvenientia patienter tolerant, sed etiam corpus & membra, quæ antecederent peccatis servierant, in armâ justitiæ & bonorum operum instrumenta convertunt, juxta monitum Apostoli Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire*

lone

*vire iustitiæ in sanctificationem.* Atque hinc gratanter accipiunt & æquanimiter ferunt primo omnes molestias & afflictiones corporis, in Dei servitio, aut ministerio proximi occurrentes, cujusmodi sunt, vigiliæ, fames, sitis, incommoditates in vestitu, strato, cubiculo, labores, fatigationes, frigus, calor immodicus, aliæque asperitates appetitui sensitivo & amoris proprio displicentes. *Deindè* ex eodem in seipso sancto & spiritali odio patienter ferunt molestias & afflictiones illas, quæ mentem & animum immediatè afficiunt, sive hæ sint *positivæ*, ut sinistra aliorum de nobis judicia, detractiones convitiæ, irrisiones, justæ & injustæ accusationes, vituperationes, confusiones, mulctationes, amotiones ab officio, infamia publica &c. sive sint *negativæ*, veluti si quis non applicetur officiis, aut functionibus plausibilibus; si denegentur ei, quæ petit; si negligatur à Superioribus, & non adhibeatur ad danda consilia; si alii conversationem illius declinent; si nulla ei exhibeant signa honoris & reverentiæ &c. *Tertiò* non contenti sunt afflictionibus à Deo, Superioribus, æqualibus, & inferioribus, vel etiam à causis naturalibus quoquo modo provenientes; sed præterea ipsi voluntariè affligunt se & mortificant, partim denegando & subtrahendo appetitui, quæ sive illicita sive inutilia & superflua concupiscit; partim amplectendo & exercendo ea, quæ eidem appetitui sunt contraria, molesta, & à quibus maximè abhorret; veluti sunt voluntariæ austeritates jejuniorum, vigiliarum, laborum, &c.

§. 17.

*De sexto medio ad operandum ex charitate  
Dei, quod est Amoris & affectus  
inordinati erga consanguineos depositio.*

229. **A**ffectus erga parentes & reliquos consanguineos dicitur inordinatus, vitiosus & reprehensibilis, cum nobis impedimento est in via mandatorum Dei, aut in tendentia ad perfectionem. De quo Christus *Matth. 10. Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est medignus. Et Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, non potest meus esse discipulus.* Quamvis enim naturalis in consanguineos amor non sit ex se malus, sed indifferens, & nec præmio supernaturali, nec pœnâ dignus; uti testatur S. Gregorius *hamil. 27. in Evangel.* Nihilominus quia frequentes parit animi distractiones, inquietudines, & perturbationes, adeoque spiritualement & internam quietem, ac recollectionem, ad nos cum Deo uniendos summè necessariam interturbat; quin & non rarò ad propositi religiosi desertionem inducit; sancti Patres & Magistri spirituales, imò ipse Christus in Evangelio hujusmodi affectum & amorem valdè circumcidendum & moderandum docuerunt: nè per suam inordinationem & excessum nobis in via virtutis obsistat. Atque hinc primò monet S. Basilius *serm.*

one

*serm. de Abdicat. rerum*, ut Novitius, dum Religiosam vitam amplectitur, & propinquos carnales deserit, fortem ac strenuum se virum exhibeat, neque illorum affectu commoveri se sinat. *Cum ab amicis & iis, quibuscum vixeras familiariter, divelleris, cave ne mœrore nimio conficiaris; ipsosq, tue mundi desertionis initio virum præbeo, conatq, omni laborato, ne cognatorum horum, qui sunt secundum carnem, amor ad terram te deprimat;* inquit S. Doctor, Qui utique probè didicerat, quantis Novitii tentationibus primo conversationis suæ tempore infestentur & exagitentur propter parentes, propinquos & amicos in sæculo nuperrimè relictos, ita ut quidam de suâ in arrepto proposito perseverantia quodammodo desperent, & à propinquorû consortio abstractos viere se posse impossibile judicent. Undè laborandû est, ut perferias mentis occupationes hæc charorû memoria sepeliatur, omniaque munuscula, imagines & similia donaria valedictione accepta, quæ illorum species revocare & conservare possunt, ex oculis & conspectu sunt removenda; ac præterea sollicitè cavendum, nè in ordinario Novitorum colloquio ulla de parentibus & propinquis mentio ingeratur; nè vullnus necdum ex integro sanatum recrudesca.

Secundò abscindenda est omnis conversatio, familiaritas & collocutio non necessaria cum propinquis. Sicut monet idem S. Basilus in *Regul. fus. interrogat. 32.* dicens: *In universum nemini est permitendum, neq, propinquo, neq, alieno, sermonem cum fratribus institueret de*

reull  
 suasu  
 inter  
 anim  
 dat i  
 jorem  
 delect  
 quis  
 prav  
 sinua  
 muna  
 aggre  
 deinc  
 quem  
 tum  
 cidet  
 tuale  
 sueve  
 carna  
 ac tar  
 fation  
 esse ti  
 dabili  
 solum  
 potes  
 tem p  
 difra  
 dines,  
 medit  
 functi  
 cum S  
 loro

reulla: nisi de illis id planissime nobis sit per-  
 suasum prius, quibus de rebus collocuturi illi  
 inter se sint, eas ad adificationem & tranquillam  
 animarum sedationem conducere. Rationem  
 dat in constitut. Monast. c. 21. Qui enim ma-  
 jorem in modum secularium hominem amicitia  
 delectatur, eaq; re assidue cum illis esse in collo-  
 quiis cupit; is ex frequenti cum illis sermone  
 pravas earum affectiones in animum facile in-  
 sinuabit; & mente rursus cogitationibus  
 mundanis completâ, à præclara illa, quam erat  
 aggressus, instantia operis desciscet; & à se  
 deinceps proscripâ vitæ spiritualis stabilitate,  
 quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomit-  
 tum resorbebit; atq; adeo saucius tandem con-  
 cidet, & misere confixus ab hoste, qui spiri-  
 tualem ejus conversationem interturbare con-  
 sueverat, per congressionem intempestivam  
 carnalium propinquorum. Neque dicas, tale  
 ac tantum periculum ex colloquio & conver-  
 satione cum parentibus & propinquis tuis non  
 esse tibi metuendum; eò quod sint homines lau-  
 dabilis & honestæ vitæ, & loquantur de rebus  
 solum necessariis: Nam negare & diffiteri non  
 potes quin ex eorum congressu & colloquio sal-  
 tem plures & variæ, in animo tuo exeitentur  
 distractiones, perturbationes, curæ, inquietu-  
 dines, & sollicitæ cogitationes, quæ in oratione,  
 meditatione, Dei laude, aliisque spiritualibus  
 functionibus te plurimum impediunt. Unde  
 cum S. Pachomius Abbas licentiam daret Theo-  
 doro Monacho colloquendi cum matre sua, as-  
 feren-

one

ferente ad hoc literas commendatitias ab Episcopis, respondit Theodorus: *primus me, venerabilis pater, certum facito, quod post tantam spiritualium rerum cognitionem, si videro eam, non dabo inde rationem Domino in die iudicii.* Cui Pachomius subjunxit: *Si probas, id tibi non expedire, fili mi, non ego te cogo. Oportet enim Monachos inutiles & seculares salutationes & colloquia inutilia diffugere.* Quod vero huiusmodi familiaritas & frequens cum propinquis conversatio seu collocutio præbeat occasionem peccandi, etiam si ipsi propinqui non sint mali; satis declarat idem S. Basilius in Regul. sup. interrogat. 32. dicens: *In eo summè est elaborandum, ut iis, qui se adhuc in vera pietatis spatiis exercent, omnes ab omni parte ad peccandum causa circumcidantur; in quibus illa est maxima, recordatio vitæ superioris; nè quando illis id usuveniat, quod dictum est; quod cordibus suis conversi sunt in Ægyptum: quæ res per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem & familiarem congressum solet accidere, non quod tales propinqui sint mali semper & scelerati, sed quod eorum præsentia & collocutio refricet memoriam vitæ nostræ sæcularis & conversationis mundanæ, faciantque recordari pristinarum possessionum, voluptatum, honorum, libertatis, personarum, locorum, negotiorum, recreationum &c.*

Tertiò abstinendum est à visitatione parentum & aliorum propinquorum in patria, aut in propriis suis ædibus; sicut docet idem S. Basilius

in Re-  
cave-  
recep-  
perm-  
gitar-  
pingu-  
tribu-  
ne no-  
modu-  
sexce-  
eâq-  
caſion-  
mum  
quor-  
as ad-  
& aff-  
cultu-  
tur, i-  
licitu-  
rium  
hujus-  
prior-  
ces &  
noſtr-  
talis  
Unde  
num-  
occa-  
cent  
nibus  
toru-  
eo qu-

in Regul. fus. interrogat, 32. dicens: Illud etiam  
cavendum est, ne, qui intra reliquorum semel  
recepti fratrum Ordinem fuerint, ab Antistite  
permittantur, ut mente distracti huc illucq; co-  
gitatione temerè rapiantur, simulatione ve pro-  
pinquorum visendorum suorum à reliquis Fra-  
tribus discedant. Præter id enim quod visitatio-  
ne nostrâ utilitatis ipsis nihil afferimus; incom-  
modum illud etiam accedit, quod vitam nostram  
sexcentis curis ac perturbationibus exponimus,  
eâq; re ipsi ad peccandum nobis multifariam oc-  
casionem accersimus. Scilicet vix pedem in do-  
mum nostrorum parentum aut aliorum propin-  
quorum intulimus, & ecce protinûs illi nobis su-  
as adversitates, gravamina, molestias, infortunia  
& afflictiones ultrò exponunt, & quidquid diffi-  
cultatis hætenûs passi sunt, vel adhuc patiun-  
tur, id totum in nos exonerant; ut ita curis & sol-  
licitudinibus benè onusti & gravati ad monaste-  
rium nostrum revertamur. Accedit, quod ex  
hujusmodi visitatione renovetur in nobis vitæ  
prioris memoria, recrudescant veteres cicatri-  
ces & vulnera conscientie jam pridem obducta,  
nostræque phantasie & imaginationi recurrat  
talis domus, locus, socius, dictum, factum &c.  
Undè necesse est novam oboriri nobis tentatio-  
num periculosarum materiam & peccatorum  
occasionem. Nam si spirituales magistri judi-  
cent periculosum, ac propterea inhibeant tyro-  
nibus, singillatim & in specie recordari pecca-  
torum eorum, quæ jam semel ritè sunt confessi,  
eo quod prudenter & rationabiliter timeant, ne

Gg

per

per hujusmodi recordationem & repræsentationem se ipsos rursus inquietent, & novam tentationibus materiam præbeant: quomodo ergo non periculosum erit & noxium, absque ullâ necessitate verâ & utilitate spiritali, sed ex puro naturali pruritu, & inordinato, vel potius puerili erga propinquos affectu adire ac visitare ea loca, domos, occasiones, in quibus necesse est resuscitari, & circumstantialiter repræsentari species seu imagines illarum rerum, quæ in sæculi vita liberiùs aliquando sunt à nobis perpetratæ? sanè D. Basilius in *Regul. sus. interrog.* 22. ait, quod inter causas ad peccandum illa sit maxima, recordatio vite superioris; qua per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem ac familiarem congressum solet accidere.

Quartò abstinendum est à frequenti communicatione per literas, sive à scriptione, missitatione, & receptione epistolarum. Nam cum per talem mutuam communicationem nobis innotescat status & conditio propinquorum; non potest non oriri in cordibus nostris cogitatio frequens de illis, & distractio, anxietas, perturbatio, tristitia, timor &c. sicut agnovit Monachus ille apud Joannem Cassianum *lib. 5. de Institut. c. 32.* Qui fasciculum litterarum clausum à suis consanguineis accipiens, talia secum ipse locutus est: *Quantarum cogitationum causa erit mihi harum lectio? quàm diversi in corde meo affectuum fluctus exurgent, quibus vel ad inane gaudium, si parentibus benè sit, vel ad infructuosam tristitiam, si malè, impellar? quot diebus horum,*  
qui

qui scripserunt, recordationem pectoris mei à propositâ contemplatione & oratione revocabunt? post quantum temporis digerenda est hac mentis concepta confusio? quantoq; labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus litterarum permotus affectu, eorumque recensendo sermones ac vultus; quos tanto tempore dereliquit, iterum eos invisere, ipsisq; cohabitare, ac mente & animo cœpit interesse? Quid mihi profuerit, eos corporaliter deseruisse, si eos corde incipiam intueri; ac memoriam eorum, quam saculo huic renuntians, semel abdicavi, iterum resumam? Quapropter talia apud se revolvens, falciculum litterarum integrum & nec dum resignatum igni tradidit concremandum; dicens: *Ite cogitationes patria, pariter concremami; nec me ulterius ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.*

Quintò. Multò magis cavere debet Religiosus, nè se immisceat propinquorum causis, litibus & negotiis quibuscunq;: *diabolus enim, cum omnes nos de rebus vitæ hujus curas exuisse animadvertit, & expeditissimo cursu ad cælum contendere; in hoc elaborat, ut, cum animum nostrum in propinquorum recordationem reduxerit, eò sensim adducat, ut rationibus illorum curandis mentem nostram ad suscipiendas rerum vitæ hujus sollicitudines impellat, ut videlicet illa secum verset, quæ res propinquorum sit, ejusmodivè, quæ se possint tutari, annon? ex contractibus præterea lucra quæ veniant, & illorum fortunas quantoperè exaugeat? Ad hæc ex variis &*

Gg 2

for-

fortuitis casibus quæ iactura contingant? eaq; illorum rem quantoperè minuant? facitq; diabolus, ut ex rebus illorum ad vitæ commoditates prosperis unà cum ipsis latemur; itemq; ex adversis doleamus. Prævas deniq; omnes de rebus vitæ huius affectiones, quibus exatis earum loco spirituales cogitationes induxeramus, denuò in animam nobis reducit; quo iterum ad rerum humilium atq; secularium cogitationem depresso, internum Monachum perimit; sitq; hinc, ut veluti statua sit Monachus, quæ solam Monachi figuram circumferat; nimirum quæ nusquam virtutibus sit animata; inquit idem S. Basilius in *constitut. Monast. c. 21.* ubi etiam concludit: intellectu igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos nostros affectione nobis nascitur, sollicitudinem de illorum rebus ut diabolicum telum fugiamus. Verbo Religiosus gerere se debet erga propinquos, tanquam mortuus & vitæ defunctus esset; ficuti monet idem S. Basilius *ibidem* dicens: à propinquis, amicis, parentibus vè animi affectione nos tam longè oportet esse disjunctos, quam longè eos, qui sunt vitæ defuncti, à vivis videmus distare. Qui enim verè se ad ea, quæ ex virtute sunt, certamina exuerit, mundoq; ac rebus mundanis omnibus nuntium remisit, quiq; mundo seipsum crucifixerit, is mundo & omnibus, quæ in mundo sunt, mortuus est, sive illi parentes sint, sive fratres, sive tertium quartum vè aut quemvis deinceps cognationis gradum obtineant. Quod exemplo suo ostendit Monachus ille apud S. Bernardum *serm. 2. in Dominicam primam post Epiphaniam*

niam; cum enim ad eum carnalis Frater auxili  
gratia adventasset, respondit ille, ut adiret alte-  
rum fratrem eorum. Cumq; admiratus, qui ve-  
nerat, responderet, quia ille obiit. Eremita se quo-  
que similiter obiisse respondit.

230. Porro perfectissimam nobis in abdican-  
do erga propinquos affectu Ideam & Exemplar se  
exhibuit Christus Dei Filius in terris conver-  
sans, idque in tribus præcipue occasionebus. Pri-  
ma legitur apud S. Lucam c. 2. Quando parenti-  
bus è templo Hierosolymitano in patriam regre-  
dientibus, ipse puer duodennis remansit in tem-  
plo, ac parentibus causam inquirentibus respon-  
dit: *nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt,*  
*oportet me esse.* Significans, in rebus Deum & a-  
nimæ salutem concernentibus seponendum esse  
naturalem erga propinquos carnales affectum;  
sicut etiam Heliodoro Monacho apud parentes  
commoranti suasit S. Hieronymus, dicens: *Li-*  
*cet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparsis*  
*crine, & scissis vestibibus ubera, quibus te nutrie-*  
*rat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat:*  
*per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexil-*  
*lum Christi evola. Solum pietatis genus est, in hac*  
*re esse crudelem.*

Secunda occasio legitur apud S. Joannem c. 2.  
ubi Christus dilectissimæ Matri suæ in nuptiis  
Canæ Galileæ defectum vini humiliter propo-  
nenti & miraculum petenti respondit: *Quid*  
*mihî & tibi est, mulier? nondum venit hora mea.*  
In quæ verba S. Bernardus *serm. 2. in Dominicam*  
*primam post Epiphaniam* ait: *Quem non moveat,*  
Gg 3 quod

quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissima ac sanctissima Matri sua dicens: Quid mihi & tibi est, mulier? quid tibi & illi Domine? nonne quod Filio & Matri? sed manifestè jam video, quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam dixeris: quid mihi & tibi? cum venientibus ad te (juxta matris praeceptum) ministris, nihil cunctatus facias, quod illa suggestit. Ut quid ergò Fratres, ut quid sic respondeat prius? utiq; propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium curarum parentum; & necessitates illae non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos esse constat parentibus. At postquam reliquimus nostra & ipsos; multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Optimè ergò nos docuit Dominus, nè solliciti simus super propinquis carnis nostrae, plus quam Religio postulet; quando ipse matri, & tali matri respondit; quid mihi & tibi est mulier?

Tertia occasio legitur apud S. Marcum cap. 3. quando Mater & Fratres seu cognati Christiforis stantes miserunt ad eum vocantes eum; cum enim quidam de turba dicerent: Ecce mater tua & Fratres tui foris querunt te; ipse respondens eis ait: Quae est mater mea & Fratres mei? & circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea & Fratres mei: Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic Frater meus & soror mea, & Mater est. Quem Scripturae locum D. Bernardus serm. 2. in Dominicam 1. post Epiphaniam adducens, subdit; ubi modò sunt, qui tam

car.

*carnaliter & inaniter super carnalibus propin-  
quis suis solent esse solliciti, ac si adhuc viverent  
& ipsi cum eis?*

§. 18.

*De septimo medio ad operandum ex charita-  
te Dei, quod est memoria &  
phantasie evacuatio.*

231. **C**um Spiritus Sanctus vellet animam fi-  
delem inducere, ut inspirationes divi-  
nas auscultaret, contemplationi Dei summi Bo-  
ni vocaret, & eidem per charitatem se uniret,  
requirit ab eâ, ut memoriam suam expurget ab  
omnibus imaginibus & speciebus, quæ hanc  
Dei contemplationem & unionem possent in-  
terturbare & impedire: ait enim *Psalm. 44. Au-  
di filia, & vide, & inclina aurem tuam; & ob-  
liviscere populum tuum, & domum Patris tui;*  
nè scilicet recordatio & rememoratio rerum  
in domo paternâ gestarum, aut cum sodali-  
bus perpetratarum tibi in via spirituali obstacu-  
lum aliquod obijciat. Quantas enim in appe-  
titu sensitivo & voluntate turbas, inquietudi-  
nes, perturbationes & tumultus, atque etiam  
tentationes, & pericula peccandi suscitent  
imagines seu species objectorum quondam in  
sæculo haustæ, testatur S. Hieron. *Epist. 22. ad  
Eustoch.* referens, quàm graves in Eremo tenta-  
tiones passus sit ex imaginibus & phantasmatri-  
bus, quæ olim juvenis ex conspectu & familiari-  
tate fœminarû acceperat; ejus verba sunt: *Quo-*

G g 4

ties

ione

ties in eremo constitutus & illâ vastâ solitudine,  
 qua exusta solis ardoribus horridum Monachus  
 præstat habitaculum, putavi me Romanis inter-  
 esse delitiis! sedebam solus, qui amaritudine re-  
 pletus eram: horrebant sacco deformia membra,  
 & squallida cutis sicut æthiopice carnis obduxe-  
 rat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus; &  
 si quando repugnantem somnus gravis oppressif-  
 set, nudâ humo vix coherentia collidebam mem-  
 bra. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali  
 me carcere condemnaveram scorpionum tantum  
 socius & ferarum sæpè chorus intereram puella-  
 rum. &c. Quare populus in deserto tumultua-  
 tus & in Ægyptum reverti voluerit, ipse causam  
 allegat Numer. II. videlicet: recordamur pi-  
 scium, quos comedebamus in Ægypto gratis. In-  
 mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones  
 porriq̃, & cepa, & allia &c. Tantum nocent  
 species objectorum sæcularium per sensus ad  
 phantasiam & memoriam transmissæ, & non  
 iterum exclusæ. Quamvis enim ille abeat, se-  
 orsumq̃ sit, qui huiusmodi formas impressit; ni-  
 hilominus insignita animo conspecti objecti species,  
 quod suum est, semper operatur, animamq̃ ima-  
 ginibus ludit; ut inquit S. Basilius lib. de verâ  
 virginit. Undè Albertus Magnus lib. de adhæ-  
 rendo Deo cap. 4. r. & 6. docet, præcipuum ac  
 quasi unicum proficiendi medium in hoc consis-  
 tere, ut animum nostrum à terrenarum rerum  
 phantasmatis, formis & imaginibus absterga-  
 mus. Felix, inquit, qui per asperionem conti-  
 nuam phantasmatum & imaginum, ac per intro-  
 versio-

versionem & inibi per sursum ductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliviscitur phantasmatum quodammodo, ac per hoc consequenter operatur interius nudo ac simplici intellectu & affectu circa objectum simplicissimum Deum. Omnia igitur phantasmata, species, imagines ac formas rerum omnium citra Deum à mente rejicias; ut in solo nudo intellectu & affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circa Deum intra te. &c. S. Basilius in Regul. fus. interrogat. 6. postquam dixerat de necessitate Abnegationis, subjungit: Nihil est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vita superioris oblivio. Monetque, cavendum esse, nè earum rerum, quas viderimus vel audierimus, impressæ pestilentes capitalesq; in animis nostris formæ ac veluti notæ quædam insideant.

232. Ut verò memoriam & phantasiam ab hujusmodi imaginibus, formis ac speciebus sæcularium objectorum evacuemus, servire poterunt sequentia media: Primum est, ut res illas, quæ præteritorum memoriam in nobis renovare, & species sepultas resuscitare possunt, procul à sensibus nostris externis removeamus, hominum sæcularium consortia & congressum declinemus, omnemque evagandi occasionem abscindamus: hac enim ratione fiet, ut paulatim & cum tempore elabente ipsæ etiam elabantur & evanescant, aut potius obruantur & profundè sopiantur species relictæ; prout accidere videmus in iis, qui ex morte chari alicujus amici contristantur: talium enim dolori & tristitiæ ut

Gg §

me

medeamur, solemus ipsis auferre, & ab eorum oculis removere defuncti vestes, arma, libros, effigies & similia, quæ illius memoriam renovare, vel conservare poterant. Propter quod pessimè sibi consulunt, sequæ gravium tentationum, aut saltem distractionum, animi perturbationum & inquietationum periculo exponunt Tyrones & Novitii illi, qui imagines, vel alias res, & munuscula, quæ in valedictione & discessu ab amicis vel propinquis donata acceperunt, talibus in locis collocant & asservant, ubi necesse est, illa sæpius in oculos incurrere, & charorum species ac memoriam resuscitare. Hoc enim nihil est aliud, quàm vulnus & cicatricem jam obductam fricando identidem renovare, & mentis tranquillitatem iteratis cogitationum affectuumque tumultibus interturbare.

*Secundum medium est, ut cogitationes de objectis sæcularibus occurrentes maturè & sine morâ rejiciamus; imò nè admittamus quidem, sed exurgere incipientes supprimamus. Etiam si in se malæ non videantur, sed indifferentes; vel etiam Boni speciem habeant: oportet enim, si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus hujuscemodi multa cum indignatione occurrere, & exsufflare à nobis, ut nullus eis detur locus; inquit S. Bernardus serm. de triplici genere cogitat. Quia si vel ad modicum tempus illis indulgeamus, statim una species excitabit aliam sibi affinem, & hæc rursus aliam & aliam circa locum, vel personam; vel dictum aut factum aliquod in sæculo provocabit;*

cabit; ut ita corpore intra claustrum degentes  
mente & animo per remotissima loca mundi, do-  
mos, sylvas, hortos, campos, montes & valles  
circumvagemur, atque inextricabilibus nos co-  
gitationibus sæcularibus intricemus, non sine  
gravi jactura internæ quietis & partæ tranquil-  
latis, imò cum periculo revertendi ad vomitum.

*Tertium medium est, ut potentias nostras re-  
memorativas, memoriam scilicet & phantasmiam  
seriò applicemus objectis aliis de se honestis, &  
ad finem nostræ vocationis vel necessariis vel u-  
tilibus recogitandis; atque ita speciebus rerum  
talium obruamus & sepeliamus species objecto-  
rum noxiorum aut vanorum in nobis relictas.  
Sicut monet S. Basilius lib. de verâ virginit. di-  
cens: Principio quidem summo perè cavendum est,  
nè cuiquam infigat obtutus; vel certè si defixisse  
contigerit, figuram animo altius infigi molientes, à  
se contraria virtute rejiciat, ac penitus arceat.  
Quod si fortè contingat, clam animæ corporeas  
imprimi formas; eas perpetua rerum honestarum  
memoriâ omni studio in se delere contendat; corpo-  
reas quidem illas veluti cera inscriptas, animi ad  
meliora ac divina conversione abolendo, sancta-  
rumque rerum imagines elaboratis meditationibus  
ac speculationibus illarum vice inscribendo. Vi-  
demus enim quotidie, quod juvenes illi, qui à  
liberalibus studiis avocati, mechanicis artibus  
addiscendis applicantur, tandem omninò obli-  
viscantur latinæ linguæ, quam antea callebant;  
& tantò magis scientiæ prioris species ac memo-  
riam*

riam deperdant aut sepeliant, quantò magis in præfenti arte mechanicâ proficiunt.

Quartum & efficaciffimum remedium est, ut nunquam fimus otiofi; fed honestâ femper actione aliquâ corporali vel mentali nos occupemus, quæ nullum de præteritis sæcularibus rebus cogitandi tempus & occasionem nobis relinquat. Sicut discipulo suo Rustico Monacho suavit S. Hieronymus, jubens, ut nunc discat psalterium, nunc oret, nunc divinas Scripturas legat, nunc psallat; aliquando etiam opus manuale exerceat, humum fodiat, arbores plantet, libros describat, &c. nè mens otiosa perniciosis cogitationibus vacet, & ad sæcularia evagetur. Subdit verò: *tantus negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus noxiis; Et dum ab alio transis ad aliud, opusq; succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris.*

## §. 19.

*De octavo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est arctior & strictior sensuum custodia.*

233. **N**E verò per sensus externos veluti per quasdam portas aut canales novæ deinceps species & imagines intrent in sensum internum, & ex eo in intellectum; quæ deinde in memoriâ relictæ novos cogitationum variarum tumultus, distractiones & perturbationes excitent, & tranquillum quietumque animi statum ad charitatis exercitium & unionem cum Deo neces-

necessarium disturbent ; requiritur maximè à Tyronibus & Novitiis, ut sensus suos externos cohibeant non solum ab objectis in se malis, aut periculosis ; sed etiam à vanis, curiosis & indifferentibus, quæ possunt causare distractiones, & cogitationes inutiles, impertinentes et extravagantes.

Atque hinc *Visus* custodiri debet, tam in Ecclesia, quam foris et extra claustrum ; nè in obvias res vel personas feratur, etiam si nullum ab iis periculum alicujus peccati gravis creari nobis possit. Sicut monet B. Ephrem *de vita spirituali* dicens : *Cum è cellula tuà negotii cujuscumque, aut conveniendi alicujus gratia discedis, oculos tuos muni, & animum piis cogitationibus institue, sic illum alloquens: egressus es non tanquam pictor, ut hominum formas effingas, atq; exprimas. Diligenter attende tibi: quomodo enim, si rebus quæ sensibus subjectæ sunt, fueris occupatus, iis quæ non videntur, vacare poteris, atq; in Dei recordatione te oblectare & conquirere? Regula S. Leufri- di Abbatis præcipit, ut in charo non sis vagus, & curiosus ; sed semper aspectus tui defixi maneant ad pedes tuos. Cum strepitus aut rumor acciderit; tu non statim eò oculos volve ; sed semper in eodem statu perseveres. Idem jubent Canonica Statuta Ordinis Præmonstratensis. *Dist. 1. c. 20. de Novitiis* ; dum eos volunt à Magistro doceri, quomodo oporteat oculos demissos & custoditos habere, certamque pœnaam præscribunt *Dist. 3. c. 2. n. 3.* infligendam illis, qui in choro constituti vagis oculis mentis levitatem ostenderint. Itinerantibus verò*

one

verò præcipiunt, ut *oculus nequaquam sit petulans, vel vagus, sed Religiosè contineatur; & in ea solum, quæ ante se sunt posita, modestè feratur;* uti habetur *dist. 1. c. 22.* Certè Theodoretus in *vitis Patrum lib. 9. c. 4.* refert pœnam satis gravem, quam Eusebius Monachus sibi ipsi infixit, eò quod sub lectione et explicatione Evangelici textus oculos suos defixisset in agricolas in subiecto campo arantes, ac propterea locum Evangelicum negligentius audivisset. Præterquam enim quod oculis suis legem tulerit, ut eum campum amplius non intuerentur; insuper etiam collum suum zonæ catenâ ferreâ ita alligavit, ut inclinatus semper incedens, nihil nisi terram posset aspicere. *Non igitur oculorum acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandenda est; nè anima omnium quoque figurarum atque formarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum postea turbetur imagines;* inquit S. Basilius *lib. de verâ virginit.*

Similiter *Auditus* cohiberi debet ab objectis vanis, curiosis, inutilibus, et impertinentibus; quæ licet in se indifferentia sint, et nec bona nec mala, nihilominus variis animum distractionibus replent; ut plenè et totaliter suis spiritualibus functionibus impendere se non possit. *Aures tuas cave, nè quibusvis passim garrientibus aperias;* ait S. Basilius *serm. de Abdicat.* *Neg. temerè nugantibus omninò respondeas in his sermonibus, qui à proposito tibi religiosa vitæ instituto dissideant. Easdem ab audiendis mundanis narrationibus abducito, quantum potes: Utilibus au-*

tem

tem auscultans preceptis, illas accommodato. Unde passim in vitis Patrum legitur, quod Religiosi primi, in quibus erat adhuc primæus spiritus vitæ regularis, ex peregrinis & adventantibus fratribus nihil de rebus novis, quæ in aulâ Cæsaris, vel in hac illave Orbis parte, aut civitate gerebantur, interrogaverint, & audire voluerint; sed tantum eos rogaverint ut si quod verbum salutis & doctrinam aliquam spiritualem haberent, eam ad Fratrum ædificationem proferrent. De B. Nilo Abbate refert Baronius ad Annum Christi 996. quod in præsentia Archiepiscopi, qui ab Ottone Imperatore III. missus, vanâ suâ loquacitate multum ei molestus fuerat, capite inclinato simulaverit, se dormire; ut vanis & prophanis Episcopi sermonibus finem imponeret, ac re ipsâ ostenderet, se hujusmodi relationes non libenter audire. In vita Joannis Houthonis Angliæ martyris & Londiniæ Carthusiæ Prioris refertur de S. Hugone Episcopo Lincolnensi, quod cum regressurus in Angliam, & divertens in quandam domum sui Ordinis, interrogaretur ab uno Fratrum in communi colloquio de novis quibusdam, responderit Hugo: *O pater! rumores audire, & referre, etsi fortè licet Episcopis, monachis tamen non licet. Cellas vel claustrum, rumores ingredi non debent. Quem proinde sanctissimum Præsulem ejusdem Carthusiæ Londinensis sub præfato Joanne Houthone Fratres inquilini imitantes, in primo adventu secularium solebant rogare eos, ut nullos rumores, nihilq. de mundo intimarent eis; sed si quis sermo bonus esset*  
ad

one

ad adificationem. In colloquiis privatisq; conventionibus otiosum verbum rarò quis audiebat; aut de mundanis rebus. Si quis tale quid inconsideratè protulisset, confestim monebatur ab audiente; per quod animus delinquentis corrigebatur. Sæculares recedebant ab eorum cellis creberrimè cum lacrymis, dicentes: verè Deus est in loco isto.

## §. 20.

## De nono medio ad operandum ex charitate Dei, quod est Solitudo.

234 **N**Ecessitatem solitudinis ad vitam innocentem, tranquillam, pacatam et quietam ducendam, et consequenter ad conjunctionem sive unionem Animæ cum Deo per Charitatem, unâ quasi voce et communi calculo adstruunt. SS. Patres. Præcipuè verò eam commendat et inculcat S. Basilius variis in locis; nam *serm. de Abdicat.* ait: *Quantum in te est, omnem in publicum prodicionem semper devitato, ac mentis hoc modo distractionem fugito. Quod si necessitas incidat aliqua, quamobrem extra cellam tibi exeundum sit; cum te prius circum ab omni parte Dei timore veluti firmissima quâdam loricâ muniveris, negotio illo, cujus causâ existi, expedito, domum te quamprimum referto; nevé diutius extra demoreris; sed innocentem illam columbam imitare, atq; ad arcam, undè fueras emissus, alis usus velocibus redi. Et ibidem: intra cellam tuam non te diebus aliquot mensibusvè, sed annis pluribus contineto, ibiq; continenter diem noctem.*

noctemq; Dominum laudato, & Cherubim imitator. In Regulis sus. interrogat. 6. docet, quod ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futes videlicet ac minimè necessarias cogitationes aberret, illud adjuvat, si quis seorsum à cæteris communem vitam sectantibus vivat: Et ibidem: Ne oculis auribusvè instigationes ad peccatum admittamus; ne vè earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus, impressa pestilentes capitalesq; in animis nostris forma ac veluti nota quadam insideant; contraq; ut animum in officio suo attentum tenere possimus, principio quod ad habitationem attinet, separata ea à cæteris nobis querenda est. In constitutionibus Monast: c. 8. prohibet etiam frequentem fratrum Religiosorum visitationem, ut solitudinem arctius custodiamus; ait enim: Illud etiam tenendum est, ut nequaquam quovis pretextu visendorum convenendorumq; Fratrum crebrò è monasterio velimus egredi: Si quidem diabolicum illud commentum est, quando hujuscemodi artificio uti adversarius solet ad disciplina nostra stabilitatem, ordinemq; Religiosa hujus vite labefactandum ac pervertendum; atq; hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, variis iisq; instabilibus cogitationibus facere obnoxios studet. Et ibidem: amplectenda nobis maxima ex parte quies est, & in suo cuiq; assignato sibi ad habitandum loco fortiter perdurandum. Qui enim huc illucq; continenti peregrinatione discurret, neq; stabilis certo ullo loco diu consistit, sed crebrò ex aliis in alia loca itatione collectam illam animi in cogitando vim assiduo isto

H b

stato

one

flatu ac reflatu veluti eventilat, atq; diffundit,  
 paulatimq; corporis voluptates spectare assuecit,  
 is qui quæso perspicaciter excutere seipsum pote-  
 rit? Quales verò & quàm perfecti esse debeant,  
 qui à Superioribus permittendi sunt in solitudine  
 & claustro egredi, subjungit ibidem, dicens: Si  
 verò quis propositam sibi semel in animo honesta-  
 tem firmè constabiliverit, & diuturnâ exercita-  
 tione temperandarum animi sui motionum probe  
 jam rationem didicerit, isq; edomitis corporis sui  
 libidinibus, & animi ratione alienis motibus re-  
 frenatis, ob eam causam è monasterio prodire fre-  
 quentius velit, ut Fratres edificet, visitetq; qui  
 huiusmodi est, eum ratio ad prodeundum potius  
 impellet, quàm revocabit; quò videlicet posita  
 super candelabro lucerna cunctis præclara doctri-  
 na sua largè lumen impertiat: modò verò confidat,  
 in quoscunq; inciderit, illis se & doctrinâ & ex-  
 emplo virtutum veluti scholam futurum; & si  
 seipsum diligenter ante muniverit; nè forte cum  
 aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur. Et in  
 iisdem Regul. fus. interrogat. 44. Peregrinandi  
 potestatem ei permittito, qui in peregrinatione si-  
 ne anima sua detrimento, & cum utilitate co-  
 rum, quibuscum congregatur, possit versari. Ce-  
 terum ubi, qui emissus fuerat, domum jam se ex  
 peregrinatione receperit, eum diligenter percon-  
 tator, quid absens interim egerit, in quorum ho-  
 minum congressus inciderit, cum illis quos ser-  
 mones contulerit, in cuiusmodi secum ipse cogita-  
 tionibus sit versatus, num assidue die noctuq; in  
 Dei timore permanserit? Et quod rectè ab ipso fa-  
 ctum

dum audieris, approbatione confirmato: Quod  
 autem contra vitiose; leni curâ prudentiq; admo-  
 nitione corrigito. Ita enim & attentiores esse  
 assuescunt, qui itineribus se dabant, si de reddenda  
 ratione solliciti sint; & nos, quamdiu abjun-  
 cti illi à nobis permanent, ne utiquam videbimur  
 illorum vitæ curam negligere. Item serm. 1. de  
 Institut. Monachor. Cum necessaria aliqua de cau-  
 sâ necesse fuerit in publicum prodire, Antistitis  
 arbitrium sit, eos ad hoc deligere, quos idoneos,  
 qui prodeant, ipse iudicaverit; itemq; contra præ-  
 cipere, ut domi remaneant, quorum similiter ex-  
 re hoc esse censuerit. Præterea discipulo suo Chi-  
 loni scribit: Lustrandarum regionum, civita-  
 tumq; adeundarum à te studium submoveto.  
 Quin solitudini potius trienda sedulam impartè  
 curam; tibi ipsi perpetuo constans, nullâ sinas  
 mentis tua tenorem rerum labentium imagine di-  
 strahi. Et Epist. 1. ad Gregorium Theologum ait.  
 eum expiationi animæ idoneum esse quietum sta-  
 tum, cum nec lingua loquitur, quæ ad homines  
 pertinent; nec oculi colorum nitores circumspi-  
 ciunt in corporibus, nec continè accommodatas  
 membrorum proportiones; cum nec aures animæ  
 intentionem elanguescere faciunt, auscultandis  
 ipse modulamentis distenta ad voluptatem cien-  
 dam accommodatis, nec facetorum hominum ridi-  
 culis aut scurrilibus dictis. Rationem verò ad-  
 dit; quia mens nec extrorsus dissipata, nec in  
 mundum per sensoria diffusa, ad se ipsa redit,  
 moxq; suo pte nutu ad Dei notionem evadit.

Denique non solum prohibet Religiosos egredi ex Monasterio in publicum; sed insuper vetat sæculares ingredi ad ipsos visitandi gratiã. Ita enim scribit ad Gregorium Theolog. *Epist. 1. Solitudo grande opera pretium adfert, utpotè quæ perturbationes animi consopire solita sit. Esto igitur locus aliquis ita ab hominum congressu liber, ut à nullo extraneorum irrumpente, as sedua interpelletur meditatio.* Qualem solitudinem se ipsum elegisse testatur *Epist. 19. ad eundem Gregorium* dicens: *Quod autem potissimum de hoc loco referre possumus, hoc est, quod cum ad omne genus fructuum sit propter situs commoditatem appositus, omnium mihi jucundissimum fructum, quietem ac tranquillitatem alit, non solum propterea, quod ab urbanis perturbationibus alienus est; sed quod nè viatorem quidem admittit.* *Causam dat serm. 1. de Institut. Monachor. dicens: Mulieres à Monasteriorum ingressu profusus arcentor. Viri non quivis temerè admittuntor, sed in tantummodo, quos idoneos, qui ingrediuntur, Antistes iudicãrit.* Plerumq; enim hæc temerè facta omnibus ingrediendi potestas intempestivorum quorundam sermonum ac narrationum minime convenientium causa est, ex quibus animus in futiles minimeq; necessarias postea cogitationes delabitur. Aliam rationem affert in *Constitut. Monast. c. 7.* his verbis: *Danda omnino nobis opera est, ut non nisi magnã adhibitã diligentia circumspeditioneq; in congressum cum extraneis hominibus veniamus: Si enim Liberator noster omnibus se ipsum non credebat, si ille*

purus

purus & labe omni carens, ille ab omni culpa li-  
 ber, ille justus, ille qui quantusq; erat, nihil nisi  
 virtus erat, hoc faciebat; qui fieri poterit, ut  
 nos, qui peccatores sumus, qui ad lapsum pro-  
 clives, qui a recto, quod nobis proposuimus, iti-  
 nere identidem aberramus, qui hoc poterit im-  
 petrari, ut, si curiosis hominibus vitam no-  
 stram inspiciendam exposuerimus, non et pra-  
 vas in nos calumnias conslemus, & ipsi nobismet  
 ipsis scandala statuamus? S. Ephrem serm. de  
 Monacho & turture ait: Mane in solitudine;  
 ne & tu ad mundum conversus, ea, quae retrò  
 sunt, respicias. Neq; in civitatibus & castel-  
 lis vicisq; converseris; neq; cum mundanis de-  
 moreris: ne vias eorum addiscas, recedatq; ani-  
 ma tua à Deo. Et lib. de vita spirit. Qui in so-  
 litudine vitam degit, à tribus impugnationibus  
 liber est, quae nimirum ab oculis, auribus, &  
 lingua proficiscuntur. Aperniciosis congressibus  
 & familiaritatibus sapienter abstine; ut ho-  
 mo interior bene conquiescat. Item in Beati-  
 tudinib. Beatus qui omni cum reverentia sedet  
 in cellula sua, sicut Maria secus pedes Domini.  
 Beatus qui in cella sua ut Angelus in caelo puras  
 & castas colit cogitationes, & ore collaudat  
 eum, qui Spiritum & rerum omnium habet po-  
 testatem. Et de recta vita ratione: In cellula  
 tua te contine, O Monache, ibique precationi  
 cum animi submissione frequenter incumbe. San-  
 cti Antonii Abbatis apud Pelagium lib. 1. vit.  
 Patrum. n. 2. decantata sententia est: Sicut pis-  
 ces, si tardaverint in sicco, moriuntur: ita &

Hb 3

Mona-

Monachi tardantes extra cellam, aut cum viris  
 secularibus immorantes, à quietis proposito re-  
 volvuntur. Oportet ergò, sicut piscem in mari,  
 ita & nos ad cellam recurrere; ne forte foris  
 tardantes, obliviscamur interioris custodia.  
 Cui consonant verba S. Norberti in serm.  
 ad Fratres, qui reperitur in Bibliothec. SS. Pa-  
 trum ult. edit. Vos, qui Habilitatem promisistis  
 in hoc sacro loco, sitis sine fastidio suscepti oneri,  
 in Dei servitute continui; nisi interdum neces-  
 sitate exteriorum actionum prapediti: ne dissi-  
 lutio inutilium divagationum suavitatem virtu-  
 tum intervà dulcedine Divinorum mysteriorum  
 gustatam auferat, & labentis mundi, qui nul-  
 lum locum à foribus habet tutum, fallaciter a-  
 morem inducat. Quia sicut piscis extra aquam  
 penitus necessariis alimentis naturalibus carens  
 citò moritur: Sic instabilis Religiosus munitione  
 & custodia claustris exutus, exemplis & do-  
 cetrinis honorum alienus, mundo Cujus status in  
 maligno positus est, pluries conversatus, citò ad  
 vitia labitur & nexibus perpetuae mortis deti-  
 netur. Fugite igitur secularium hominum fre-  
 quentiam sicut piscis siccitatem: ne oblivisca-  
 mini interioris custodia diligentiam; qua men-  
 tis generat puritatem De S. Arsenio refert Pe-  
 lagius supra n. 3. Cum adhuc esset in palatio, ora-  
 vit Dominum dicens: Domine, dirige me ad sa-  
 lutem. Et venit ei vox: Arseni fuge homines  
 & salvaberis. Idem ipse discedens ad Monacha-  
 lem vitam, rursus oravit eundem sermonem di-  
 cens; audivitq; vocem dicentem sibi: Arseni fu-  
 ge,

ge, tace, quiesce; hæ enim sunt radices non peccandi. S. Hieronymus *Epist. ad Heliodorum Monachum* exclamat: *ô desertum Christi floribus vernans! ô solitudo, in quâ magni illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis edificatur! ô Eremus familiaris Deo gaudens!* Et *Epist. ad Rusticum* ait: *Mihi oppidum carcer, solitudo est paradisus.* S. Bernhardus *serm. 40. in Cantic.* animam Religiosam sic alloquitur: *O Sancta anima! sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis & intimis.* Plura videntur possunt apud eundem Bernardum *epist. ad Fratres de Monte Dei*, & apud S. Basilium *opusc. de Laude Solitaria vite.*

234. Porrò non sufficit, fugere solùm homines sæculares, & eorum colloquia, sed præterea requiritur alia adhuc *strictior solitudo* ad conciliandam & conservandam animi pacem, quietem, & tranquillitatem pro unione per charitatem cum Deo necessariam; quæ solitudo consistit in eo, ut in claustro degentes, jugiter nos intra cubiculi seu cellæ parietes ita contineamus, ut citra veram necessitatem nullatenus pedem indè efferamus; neq; etiam quæ extra cellam in horto vel atrio aut alibi fiunt, curiose per fenestram contemplemur. Qualem solitudinem à Novitiis quoque requirunt Canonica statuta Ordinis Præmonstratensis. *Dist. 1. c. 20. n. 19.* ut videlicet *Soli Deo, vivere querentes, cellarum & quietis suæ Studiosi sint*  
*Hh 4* *obser-*

observatores; habeantque cellulam pro paradi-  
 so; ut S. Hieronymus inonet Rusticum Mona-  
 chum. qui etiam Epist. 15. De Laudibus S. Asel-  
 ta testatur, quod unius cellula clausa, angustiis,  
 latitudine paradisi fruebatur. Pulchrè & ner-  
 vose more suo Thomas Kempensis in opusc.  
 vallis Lilior. c. 18. de hac cellæ solitudine: La-  
 tere & tacere bonum est pro pace cordis, & ob-  
 tentu devota orationis, & ad cavendum di-  
 stractiones cordis, in multis rebus visis, & au-  
 ditis: quia quæ oculus non videt, nec auris au-  
 dit, cor non dolet, nec citò turbatur. Scut e-  
 nim piscis extra aquam citò moritur: ita Mo-  
 nachus extra cellam leviter distrahitur, & in-  
 quinatur; Nam pretiosa aromata in pyxide  
 clausa fortius fragrant; aperta & ostensa vir-  
 tutem odoris citius amittunt. Flores quoque  
 manibus tacti leduntur: intra septa pome-  
 rii clausa, servantur, & muris altis firmati tu-  
 tantur. Crescunt & rose in hortis clausæ se-  
 cura; arefcunt & calcantur pedibus in viis  
 projectæ: Sic vagus & instabilis Monachus vi-  
 lescit, sepè foris visus: fugiens autem turbas,  
 manens intus, reputatur Sanctus. Candela ar-  
 dens à vento citò extinguitur: in laterna la-  
 tens custoditur. Sic fervor devotionis in se-  
 cretario cubiculi tutius servatur; & in nego-  
 tiis externis facilius dissipatur. Maneas er-  
 gò libenter in solitudine & in cella, devotionis  
 causa; Sicut B. Virgo Maria mansit sola in cu-  
 biculo clausa. Et S. Basilius in opusc. De Lau-  
 de vitæ solitar. O cella, spiritualis exercitii

mira-

mirabilis Officina! in quâ certè humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ redit originis puritatem. O cella spirituale prorsus habitaculum! namq; de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in divina charitate ferventes. Tu odiosa linguafranum, tu luxuriosis renibus nitida Castitatis adhibes cingulum. Tu facis, ut leves quiq; ad gravitatem redeant; ut jocosî scurrilitatibus parcant; ut vaniloqui & procaces se sub districtâ silentii censurâ castigent. Tu juniorum & vigiliarum nutritrix; tu patientiæ & pacis perfectissima custos; tu nosti homines ad perfectionis culmen evehere, atque ad consummata sanctitatis fastigium sublimare. Te Hieremias aspexerat, cum dicebat: Bonum est, cum silentio preestolare salutare Dei. Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentiâ suâ. Sedebit solitarius, & tacebit; elevabit enim se supra se. Cella Dominicæ sepultura propemodum æmula; quæ peccato mortuos suscipis, & per afflatum S. Spiritus Deo reviviscere facis. Te portum tranquillitatis inveniunt, qui naufragium mundani fluctus evadunt. Recti diligunt te; & qui te fugiunt, veritatis luce privati, quo gressus ponere debeant; non agnoscunt. Adhæreat lingua faucibus meis; Si non meminero tui; Si non proposuero te in principio lætitiæ meæ. Hæc requies mea: hic habitabo; quoniam elegi eam. Juxta S. Bernardum epist. ad Fratres de monte Dei Cella & Cæli habitatio cognatæ sunt: quia sicut

Hb s cælum

ONE

cælum & cella adinvicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. Quod geritur in cælis, hoc & in cellis: quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Nec jam spiritui oranti, vel etiã corpore exeunti, è cella in cælum longa & difficilis via invenitur: à cella enim in cælum sæpè ascenditur: vix autem nunquam è cella in infernum descenditur; nisi sicut dicit Psalmista, descendant in infernum viventes, videlicet nè descendant morientes. Moriens autem vix aut nunquam aliquis è cella in infernum descendit; quia vix unquam aliquis nisi cælo prædestinatus, in eã usq; ad mortem persistit.

235, Neq; mihi opponas, te vitam profiteri non purè Monachalem, sed canonicam & mixtam ex contemplativã & activã; vi cuius obligeris ad conversandum cum hominibus secularibus, ut eos Christo lucrifacias: Nam etiam professores vitæ mixtæ & Canonici seu Clerici Regulares debent solitudinem colere, ac frequentiam hominum fugere, quamvis charitas proximi, aut ratio officii illorum aliud non exigit; imò non deberent prius in publicum prodire ad functiones activæ vitæ exercendas, quàm se ipsos in vitæ contemplativæ studio & solitudine ita perfecerint ac solitaverint, ut sine propriæ salutis dispendio, & aliorum scandalo possint in vita activa stare & conversari. Si sapias, inquit S. Bernardus *serm. 18. in Cantis*. Concham te exhibebis, & non canalem: hic siquidem penè simul recipit & refundit: Illa ve-

rō donec impleatur, expectat; Et sic quod super-  
 abundat, sine suo damno communicat. En quan-  
 ta prius infundenda sunt, ut effundere audea-  
 mus, de plenitudine, non de penuria largientes:  
 primò quidem compunctio, deinde devotio, ter-  
 tio penitentiae labor, quarto pietatis opus, quin-  
 to orationis studium, sexto contemplationis oti-  
 um, septimò plenitudo dilectionis. Eam nondum  
 adeptus, periculosissimè promovetur, quantis li-  
 bet aliis videatur pollere virtutibus. Cæterum  
 tu frater, cui firma satis propria salus nondum  
 est; cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò  
 tenera & arundinea, quantenus omni flatui ce-  
 dat; quānam dementiā, quæso, alienam curare  
 aut ambis, aut acquiescis? Sanè viri sanctissi-  
 mi, quos Deus ad vitæ activæ functiones &  
 ad curam alienæ salutis gerendam vocavit in  
 veteri & novâ lege, prius in solitariâ & con-  
 templativâ vitâ se strenuè exercuerunt, ra-  
 dicârunt, solidârunt, & confirmârunt, nec non  
 post expletas officii sui partes ad eandem re-  
 dierunt; sicuti constat de Prophetis Eliâ & E-  
 liseo habitantibus solitariè in Carmelo 4. Re-  
 gum 1. & 4. Et de S. Joanne Baptista sanctifi-  
 cato in utero matris; qui erat in desertis, usq;  
 in diem ostensionis suæ. Luc. 1. quiq; erat præ-  
 dicans in deserto Judææ; ut ait Matthæus c. 3.  
 In quem proinde locum commentans Doctissi-  
 mus vir Cornelius à Lapide scribit, Sanctum  
 Joannem exemplo suo docuisse viros Apostoli-  
 cos, & prædicatores futuros, prius secedere ab  
 hominum tumultu, & in secreto vacare orationi  
 & me-

Et meditationi; ut in eâ magnam vim spiritus  
 cœlitus hauriant; quam deinde predicando in  
 Auditores effundant. Quò facit illud S. Augu-  
 stini epist. 76. Non erit bonus Clericus, qui non  
 fuit bonus Monachus. Quocirca SS. Augusti-  
 nus, Martinus, Chrysostomus, Nazianzenus, Ba-  
 silius, Gregorius, aliq. plurimi ex Monasteriis  
 Clerum assumpti sunt. De Christo Jesu, qui  
 forma exitit & exemplar omnis perfectionis,  
 refert idem S. Matthæus c. 4. quod ante ini-  
 tium prædicationis suæ ductus à Spiritu San-  
 cto in desertum, quadraginta diebus & nocti-  
 bus se exercuerit in vitâ solitariâ, jejunando,  
 orando &c. scilicet ut futuros in Ecclesiâ Doctores  
 & prædicatores primò tentationibus probari, ac in  
 oratione & meditatione in solitario secessu forma-  
 ri oportere, illoque spiritum ingentem à Deo hau-  
 rere; quem deinde in alios effundant, ostende-  
 ret. Qui ergò sapiunt, prius cum Christo in  
 desertum hoc orationis & meditationis secedunt,  
 in eoq. cum Deo conversantes; ad munus prædica-  
 tionis, gubernationis, & Apostolatus se disponunt;  
 ut inquit idem Cornelius in c. 4. Matthæi. Ad-  
 de, quod Christus non solum ante prædicatio-  
 nis suæ initium, verum etiam postea sub eo-  
 dem prædicandi munere frequenter à turba re-  
 cesserit, & solitudinem repeterit. Nam Mat-  
 thæi. 14. dicitur, quod dimissâ turbâ ascendit  
 in montem solus orare. Et Luc. 6. Exiit in mon-  
 tem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.  
 Non quod in orando & contemplando ullaten-  
 us perturbaretur à perstrepen- te turbâ; sed ut  
 præ-

prædic  
 res in  
 cere tu  
 ris tur  
 versa  
 fert.

De d

236. F

exerc  
 direct  
 insupe  
 anima  
 tolli,  
 li se  
 possit  
 & cor  
 aman  
 ferri  
 sed ju  
 vel o  
 neces  
 sum  
 cat D  
 nes D  
 lis, v  
 perfe

prædicatores futuros & vitæ activæ profes-  
sores informaret, quid ipsos inter docendum fa-  
cere subindè oporteat, utpotè quibus popula-  
ris tumultus & frequens cum sæcularibus con-  
versatio non exiguum sæpè detrimentum ad-  
fert.

## §. 21.

*De decimo medio ad operandum ex charita-  
te Dei, quod est lectio spiritua-  
lium librorum.*

236. PRÆTER hæc dicta & declarata me-  
dia, quibus remouentur impedimenta in  
exercitio charitatis, & unione animæ cum Deo  
directè vel indirectè obstantia; requiruntur  
insuper alia quædam *adjumenta*, quibus eadem  
anima sursum debet elevari, & in altum ex-  
tollì, ut Deo Summo Bono approximare, & il-  
li se conjungere atque adhærere incessanter  
possit; quatenus scilicet præsentis vitæ status  
& conditio permittit: cum enim voluntas in  
amando dependeat ab intellectu, & non possit  
ferri per affectum suum in rem incognitam,  
sed juxta mensuram cognitionis contemperet  
vel odium vel amorem objecti propositi; hinc  
necessarium est, ad amandum Deum tanquam  
summum Bonum, ut intellectus prius cognos-  
cat Deum velut summum Bonum; & perfectio-  
nes Dei, propter quas super omnia est amabi-  
lis, voluntati repræsentet: Nam quo major &  
perfectior est hæc Dei notitia et cognitio ex  
parte

parte intellectus, eo major etiam & perfectior est amor seu dilectio & charitas ex parte voluntatis; Sicut apparet in Angelis & Sanctis comprehensoribus in Caelo; qui Deum perfectissime & vehementissime ac sine cessatione amant; quia ejus bonitatem & perfectionem clarissime per intellectum cognoscunt & intuentur.

Sunt autem tria potissimum remedia, quibus Novitii & Tyrones notitiam Dei & perfectionum illius, quantum pro incipientium Statu satis est, comparare & sibi acquirere possunt. Primum est *lectio spiritualium librorum*; de qua S. Hieronymus *epist. ad Demetriad. Virgen. unum illud tibi, praeq. omnibus unum predicam, & repetens iterum iterumq. moneto; ut animum tuum Sacra lectionis amore occupes. Et ait Rustic. Monach. Nunquam de manu & oculis recedat liber; & animus lectione saturetur. Quia omnis profectus ex lectione & meditatione procedit: quae enim nescimus, lectione discimus; quae autem didicimus, meditationibus conservamus; ut inquit S. Isidorus lib. de Summo Bono. & S. Solet enim Deus nobis per lectionem spirituales loqui, se nobis revelare, & sui notitiam nobis communicare; sicut ait. S. Ambrosius lib. 1. officior. c. 10. illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula. Et S. Hieronymus ad Eustochium *epist. 22. Semper te cubiculi secreta custodiant; Semper tecum ludat sponsus intrinsecus. Oras? loqueris ad sponsum: legis? ille tibi loquitur. Unde**

de epist  
nunqu  
inisse  
persona  
tur, qu  
tellect  
nondu  
tualium  
rituali  
& steri  
libus o  
pientil  
nis spi  
nuitur  
tatione  
mam,  
etiam a  
clarant  
piorum  
tem sur  
us Naz  
ne scri  
lium p  
riones e  
tione se  
re purg  
instrum  
tum, a  
tans.  
um vir  
August  
ctatore

de *epist. ad Marcellian.* refert de Ambrosio; eum  
 nunquam cibum sine lectione sumpsisse; nunquam  
 inisse somnum nisi unus è Fratribus sacris literis  
 personaret. Et S. Theresia c. 4. *vite sue* fate-  
 tur, quod primitus non potuerit meditari & in-  
 tellectu discurrere de rebus divinis; eò quod  
 nondum haberet notitiam Dei, & rerum spiri-  
 tualium; quam postea notitiam ex lectione spi-  
 ritualium librorum accepit. Quæ impotentia  
 & sterilitas in meditando ac de rebus spiritua-  
 libus discurrendo communiter contingit inci-  
 pientibus seu Tyronibus; ob defectum Lectio-  
 nis spiritualium librorum; paulatim verò mi-  
 nuatur ac tollitur per quotidianam eorum lecti-  
 tationem. Quomodo autem lectio sacra ani-  
 mam, quam cognitione & Notitiâ Dei imbuat,  
 etiam ad ejusdem amorem perducatur, passim de-  
 clarant exempla Sanctorum, qui per lectionem  
 priorum librorum ad Dei servitium & charita-  
 tem sunt accensi & inflammati. D. Gregori-  
 us Nazianzenus *orat. 10.* fatetur, se ex lectio-  
 ne scriptorum Asceticorum Sancti Basilii in a-  
 lium planè virum mutavi, ait enim: *Cum ora-  
 tiones eas, quas de moribus ac bene vivendi ra-  
 tione scripsit, in manus accipio, animò & corpo-  
 re purgor, templumq; Dei capax efficio, atq;  
 instrumentum musicum à Spiritu Sancto pulsa-  
 tum, divinamq; gloriam & potentiam decan-  
 tans. Hic reconcinno, & componor, atq; in ali-  
 um virum migro, divinitusq; permutor.* De S.  
 Augustino, qui ex Manichæo & voluptatum se-  
 ctatore mutatus est in Ecclesiæ Catholicæ Do-  
 ctorem

one

ctorem & ardentissimum Dei amatorem, scri-  
 bit Possidius in ejus vita, quod ex Sacrorum  
 lectione conversus fuerit: *Nam cum in hortu-  
 lum secessisset Augustinus; ecce de proximâ do-  
 mo vox ad ejus aures quasi pueri dicentis: tol-  
 le, lege: tolle, lege. Statimq; surrexit, inter-  
 pretans, divinitus sibi juberi, ut aperiret codi-  
 cem Apostolicum & legeret. Accipit igitur li-  
 brum, aperit, legit in silentio capitulum, quod  
 primò se obtulit: Non in commestationibus &  
 ebrietatibus &c. Sed induimini Dominum Je-  
 sum Christum, & carnis providentiam ne fecer-  
 itis in concupiscentiis. Nec ultra legere vo-  
 luit; mox quippè quasi luce securitatis cordi in-  
 fusâ, omnes dubitationis tenebras sensit diffuge-  
 re. Videri possunt de hoc liber 6. & 7. Con-  
 fessionum ejusdem S. Augustini; uti & liber 8.  
 ubi c. 6. ipse recenset, quomodo Adolescentes  
 duo Nobiles à militia sæculari conversi sint ex  
 lectione vitæ S. Antonii Abbatis ad meliorem  
 vitam & militiam spiritualem. De S. Ignatio So-  
 cietatis Jesu Fundatore, qui tantus Dei amator,  
 ut majorem ejus gloriam semper in ore habue-  
 rit, semper in omnibus quænaverit, refert Bre-  
 viarium Romanum, quod animus illius accen-  
 sus fuerit ex fortuitâ piorum librorum lectione.  
 De Sanctâ quoq; Theresiâ meminit idem Bre-  
 viarium ad diem 15. Octobris, quod cum inte-  
 nerrimâ adhuc ætate Sanctorum martyrum  
 Acta perlegeret, adeò Spiritus ignis in eâ ex-  
 arsit, ut domo suffugiens in Affricam trajiceret,*

ubi vi  
 salute  
 237  
 gendi  
 bi ven  
 flamen  
 vinitu  
 guenda  
 fectus  
 fructu  
 fructu  
 nibus  
 stolis  
 vange  
 tiva &  
 tur.  
 omnib  
 est qua  
 ram su  
 c. 84. S  
 diligen  
 Patria  
 lius pos  
 bus con  
 quid te  
 me den  
 sam doc  
 dum no  
 instrui  
 diligan  
 dum an  
 pus pro  
 mi vel



Scriptura & sapientia, qua ex ore Altissimi  
prodiit, philosophis abscondita, sed grossis &  
dibus piscatoribus revelata; inquit S. Augu-  
nus serm. 38. ad Fratr. ubi & subdit. Itaq; Fr-  
tres, nolite jam pigrescere; sed legite Scriptu-  
ram: discite eam Filioli; saepe legite eam. Haec  
est, qua praecipue Deum provocat diligere, cor  
illuminat, purificat conscientiam, animam san-  
ctificat, fidem confirmat, animas frigidas cale-  
cit &c. S. Basilius epist. ad Chilonem discipul. mo-  
net: Crebram lectitationem novi praesertim Te-  
stamenti ne levi ex causa transmiseris. Scrip-  
tura omnis divinitus inspirata non mediocrem  
ex se usum conciliat attento lectori. Nam iux-  
ta S. Isidorum Hispal. lib. 6. sentent. c. 8. n. 4. Ge-  
minum confert donum Lectio sacra Scriptura; se-  
cundo quia intellectum mentis illuminat; seu quia  
a vanitatibus mundi abstractum hominem ad  
Dei amorem perducit. Qui legit alterius viri  
docti & valde etiam spiritualis librum quem-  
cumq; non est certus de doctrina inibi reperta,  
quod sit infallibilis; adeoque voluntas, quae ju-  
diciu intellectus sequitur, non potest pedem  
tam firmum figere; & affectus tam efficaces  
elicere: qui autem sacram Scripturam legit, se-  
curus omnino est & certus, quod omnes sen-  
tentiae & doctrinae in ea contentae sint verita-  
tis infallibilis; potestque illis affectu firmissimo  
inhærere, & proposita efficacissima formare.  
Unde S. Hieronymus in c. 23. Matthaei. Quod  
de sacris scripturis auctoritatem non habet, ead-  
dem facilitate contemnitur, qua probatur. Et S.  
Augu-

Augu-  
tia m  
fallam  
monf  
ant. d  
volve  
& Ma  
tim a  
tempt  
tantia  
ter leg  
ria im  
Novit  
legent  
Monac  
filii a  
Theol  
disput  
monal  
Monac  
Bernar  
trum  
&c. Q  
possum  
rum c  
comm  
238  
fit fru  
Prima  
omni p  
a pecc  
tiam se

Augustinus lib. 11. confess. c. 2. *Sint casta delicia mea sacra Scriptura; non fallar in eis; nec fallam ex eis.* Ut ita Canonici Ordinis Praemonstratensis statuta non immerito praecipiant. dist. 1. c. 20. n. 19. *Quod Novitii in legendis volvendisq; scripturis sacris debeant esse assiduis; & Magister eorum debeat aliquot loca, speciatim ad Dei amorem, terrenarumq; rerum contemptum, & ad virtutum studium magis excitantia illis praefigere, qua frequentius ac diligenter legant, revolvant, ac tenacius cordi & memoria imprimant.* Secundo loco Tyronibus seu Novitiis praeter Regulas & sui Ordinis statuta legendae sunt Epistolae S. Hieronymi ad Rusticum Monachum, ad Paulinum &c. Item epistolae Basilii ad Chilonem discipulum, Gregorium Theologum; & ejusdem Regulae tam fusius disputatae, quam breviores, Constitutiones monasticae, sermones de *Abdicat. & Institut. Monach.* Epistolae, sermones, & Apologia S. Bernardi ad Guilielm. Abbatem. Vitae SS. Patrum apud Rosweidum. Sermones S. Ephrem. &c. Quibus non inutiliter tertio loco adjungi possunt alii libri ascetici Authorum recentiorum clariores, captui incipientium magis accommodati.

238. Ut vero lectio spiritualium librorum sit fructuosa, plures requiruntur conditiones. Prima est, ut animus immunis sit & purus ab omni peccato graviore; aut saltem paratus sit a peccatis desistere, & ab illis per poenitentiam se emundare.

*Quoniam in malevolam*  
112 ant-

one

animam non introibit Spiritus sapientiae: nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sapient. 1. Quod si graves aliqui peccatores. (Sicut de S. Augustino supra diximus) ex lectione spirituum librorum compuncti, & ad meliorem frugem conversi fuerint: id non contigit sine precedente animi bonâ dispositione & affectione in illis à DEO excitatâ. *Secunda* conditio est, ut animus sit benè sedatus, quietus, compositus, & ab omni perturbatione vel quocunque motu inordinato purificatus. Nam sicut expositio S. Scripturæ *exigit mentis oculos aeres, & perspicaces, qui res divinas perspicere, & in penetralia Spiritus ingredi audeant*; ut inquit S. Theodoretus *prologo in Cantica*. Ita quoque ejusdem Divinæ Scripturæ Lectio requirit intellectum perspicacem, & valentem ingredi in penetralia spiritus. Constat autem experientia, quod passionum indomitarum vehementia & inordinati motus soleant mentis nostræ oculum, qui est intellectus, summoperè obscurare, & tenebras ei offundere in tantum, ut lecta penetrare, ac perspicere vel ponderare minime possit; sicut patet in vehementer iratis, tristibus, amantibus &c. *Tertia* est, animus legentis sit *humilis*, qui persuasum sibi habeat, multa se adhuc ignorare, & se doceri posse ab aliis; nec Deum uni soli omnia dona & talenta largiri, sed ea diversis distribuere, ut unus alium sive dictis scriptis instruere possit, & pro majori humiliatione unus ab altero discere non erubescat. Sic legimus in *Actis Apostolorum*

c. 9. Quis  
quens  
circa  
ad hor  
ret, q  
Sauli  
Chri  
tibi, q  
literc  
scripti  
stacul  
quem  
lut ig  
inferi  
cimus  
venu  
& ab  
ter in  
fidem  
quàm  
bus pr  
dit, q  
illumi  
cacia  
inter  
videat  
telliga  
tibi P  
si ha  
ea par  
Qua  
tentic

c. 9. quod Christus Sauli in via apprensus & loquens, cum facillimè potuisset ipsum instruere circa omnia credenda & facienda, miserit eum ad hominem, scilicet Ananiam, ut ab illo disceret, quid deberet facere: interroganti enim Sauli: *Domine quid me vis facere?* respondit Christus: *ingredere civitatem; & tibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Nullus igitur qualitercunq; doctus putet, se ex aliorum libris & scriptis discere nihil posse; hoc enim ipso obstaculum sibi ponit, quo minus fructum aliquem ex lectione possit haurire; nam quos velut ignorantes & imperitos, nobisq; doctrinam inferiores superbè ac fastuoso supercilio despiciamus, horum dictis & scriptis nullatenus movemur ad agendum aliquid vel omittendum; & ab eis discere aliquid dedignamur. Sicut patet in civibus Nazareth, qui doctrinam Christi fidem non adhibebant; eò quod ipsum tanquam Fabri Filium & de pauperibus parentibus prognatum despicerent. *Matth. 13.* Accedit, quod Deus superbis resistat, & donum tam illuminationis ex parte intellectus, quam efficacis motionis & impulsus ex parte voluntatis inter legendum illis deneget; *ut videntes non videant & legentes, vel legi audientes non intelligant.* Unde Christus *Matth. 11. Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

Quarta Condicio est, ut in Legente sit intentio, aviditas, desiderium, spiritalis fames

one

proficiendi ex lectione: *Qui enim esuriunt & sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur.* Matth. Fastidiosi autem dimittuntur, & relinquuntur inanes, undè de cœlesti sapientia dicitur: *Facile videtur ab his, qui diligunt eam; & invenitur ab his, qui querunt illam.* Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat: *initium enim illius verissima est disciplina concupiscentia.* Sapient. 6. Et ad Danielelem Prophetam, qui cupidus erat discere & cognoscere mysteria Dei, maximè circa Messiam venturum, Angelus ait: *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Non ergò mirum, quòd ex lectione spirituali quotidianâ nullum vel exiguum fructum hauriant, qui sinè ullo desiderio spiritualis profectus, sed ex merâ consuetudine, necessitate, aut curiositate, temporis fallendi gratiâ, vel cum fastidio libros legunt, etiam optimos & Sanctissimos.

*Quinta conditio est, ut lectio spiritualis sit atenta & reflexa: ita ut legens doctrinam & veritatem, quam legit, benè consideret, expendat, ruminet, & ad vitam moresque suos applicet.* Propter quod non est festinandum in legendo: *non multa, sed multum,* monet Plinius esse legendum; *quia sæpè proluxa lectio longitudinis causa memoriam legentis obliterat.* Econtrà lectio si brevis sit, submotoq; libro sententia retrahetur in animo, tunc sine labore legitur; & ea, quæ lecta sunt, recolendo, memoriâ minimè excidunt; *ut inquit Isidorus lib. 3. de summo Bero. c. 14.*

Sexta

*Sexta* conditio est, ut lectio non sit vaga; qualis est illorum, qui modò hunc modò alium librum arripiunt, & aliquid in eo legunt. Debet ergò, qui vult proficere, paucos sed solidos libros, habere, & in eorundem lectione hunc observare ordinem, ut à principio & titulo libri illius, quem semel pro lectione determinavit, incipiat, & per omnia capita ac paragraphos ad finem usq; procedat; nec prius alium assumat, quàm inchoatum legendo absolverit. Qui enim per plures simul vagatur libros, & nulli determinato alligat, similis est ægroto, qui diversos in suâ infirmitate adhibet medicos, & per hanc suam variationem destruit & corrumpit magis seipsum. *Lectio certa prodest*, inquit Seneca epist. 49. *Varia delectat.*

*Septima* deniq; conditio est, ut ea, quæ inter legendum digna notatu occurrerint, & vel ad perfectionem proprii Spiritus, vel ad instructionem aliorum servire poterunt, scripto annotentur, & in peculiarem librum ad hunc finem dispositum referantur, eo ordine & modo, ut suo tempore reperiri, & usurpari valeant. Easdem ferè conditiones tradit doctissimus & piissimus vir Gerardus Zutphaniensis in suo libro de spiritualibus ascensionibus, dum ait. *ut tibi lectio pro spirituali ascensu sit fructuosa, multa sunt tibi attendenda, videlicet quid legis, quando legis, quomodo legis, & ad quid legis. Quid legis: non enim quæ legis, omnia quamvis etiam utilia, æq; proficiunt ascendenti. Unde illarum scripturarum lectionibus magis debes incumbere.*

re, qua tuum affectum magis inflammant ad spirituales profectum & ascensum, quam quae in rebus difficilibus & rebus curiosis illuminant intellectum, acuumt curiositatem; sicut sunt materiae disputabiles. Lectio enim difficultium scripturarum non reficit animum teneriorem; sed nunquam frangit eius intentionem. Illos autem libros praecipue debes legere, qui vel instruunt te de moribus, de extirpatione vitiorum, de exercitiis virtutum, & spirituali profectu; vel illos, qui in te augent devotionem, & inflammant affectum ad Christum, & ad caelestia. Et si interdum alios legeris, quamvis ex causa, statim debes redire ad materias devotionis. Secundo debes attendere, quando legis. Lectio enim ut sit fructuosa, non debet esse ex abrupto, & casu fortuito; sed tempore fixo. Homo praecipue debet diligenter animum ex sacra lectione reficere; ut habeat unde in suis exercitiis, cum melius non occurrit, memoria occupetur. Itaque lectio non nos retineat in se occupatos; sed ulterius dirigat ad devotas meditationes, & spirituales orationes; & illa sua dulcedine & affectione dirigant ulterius in opus, & servant delectabiliter operantes. Tertio debes attendere, quomodo legis. Sunt enim qui librum ex toto ante percurrunt, antequam incipiant. Alii nunc unum Folium student in principio; statim deinde aliud Folium in medio, vel in fine; & sic casualiter percurrunt. Fastidientis autem stomachi, ut quidam ait, est multa degustare; quae ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt. Tu vero integrum

grum librum tibi elige, qui proposito conveniat, mores informet, devotionem augeat; quem timore Domini procedente, à principio usque ad finem congruâ devotione & debitâ reverentiâ debes studere. Quartò debes advertere, ad quid vel propter quid legis. Et certè principalis intentio tua debet esse puritas cordis, non vanitas: non tantum ut scias, sed multò minus ut sciaris; sed ut tibi proficias, & aliis pro tuo modulo. Debes igitur, ut immediatius lectionem ad puritatem referas, semper aliquid de lectione extrahere, quod tuo proposito conveniat, quod memoriam occupet, quod te ad proficiendum admoneat; ut sis animal mundum, quod consuevit ruminare. Sed & alios fructus potes in lectione quarere, ut scilicet nunc legendò nunc orando, nunc operando exercitia varies, & tadjum mentis devites. Stude ergò in omnibus, quæ consueveris exercere, delectationem aliquam invenire: delectatio enim servat operantem in opere. Time in omnibus tadjum mentis &c.

§. 22.

De undecimo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est conferentia & colloquium spirituale.

239. SUadet hoc medium S. Basilius *serm. de Abdicat.* dicens: *Futiles, qui habeantur sermones, magnoperè nè attendito; sed si quæ ex divinis literis ad salutem animæ pertinentia memoratè*

li §

moratè

morari audieris, tūm verò ad ea adiēda docto te intellectu & scientiā pradiūm. Acerba gustatu tibi ea sunt, quacūq; de mundanis rebus memorentur: contraq; favis mellis similia, quæ pietatis colentibus viris narrentur. Et *serm. 2. de Institut. Monachor. Sermo futilis & quæ à familiaribus ac mutuis congressionibus mentis nasci solet distractio, prorsus exterminator.* At si quid ad animarum adificationem utile sit, de hoc tantummodò sermo habeatur. Ad exemplum scilicet & imitationem Christi, qui vanos discipulorum & aliorum sermones praeficit, & in spirituales convertit. Nam cum accederent discipuli ejus, ut ostenderent ei adificationes templi; Ipse statim subintulit: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur.* &c. *Matth. 24.* Et cum quidam adveniret, nuntiantes Illi de Galileis, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum. Ipse respondens dixit illis: *putatis, quod hi Galilei pro omnibus Galileis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis: Sed nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis Luc. 13.* Habent siquidem colloquia spiritualia & conferentiæ de rebus piis duplicem effectum, qui uterque ad Charitatem Dei exercendam servit: Nam primò intellectum illuminant, instruunt & informant cognitione seu notitiâ rerum spiritualium, & Divinarum Perfectionum, propter quas Deus est summè diligibilis. Dum enim singuli in conferentiâ, quæ vel legerunt, vel audierunt, vel proprio Marte & ingenio

invenerunt, in medium proferunt, & cum omnibus auditoribus communicant; accedit, ut singuli omnium doctrinas & sententias percipiant: atq; ita singuli omnium, & omnes singulorum fiant discipuli simul & Magistri. Unde S. Chrysostomus homil. 11. ad popul. *Quoniam se quisq; per seipsum emendare facile non potest, faciamus sodalitia & collationes; & quod in conviviiis pauperes faciunt, quoniam non potest quisq; solus convivium exhibere perfectum, convenientes omnes ex simbolo convivium conferunt; hoc & nos faciamus; postquam per nos ipsos torpidi sumus, collationas facientes, inter nos consilium spondeamus conferre, & admonitionem, & exhortationem, & increpationem &c. Ut ex singulorum studio omnes recte agamus. Nec refert, quod cæteri in colloquio jam antecederent etiam legerint in libris, quæ unus ex collocutoribus profert: Nam cum sit utilis ad instruendum lectio; adhibitâ tamen collatione majorem intelligentiam præbet: melius est enim conferre; quam tantum legere: collatio namq; docibilitatem facit: Nam propositis interrogationibus cunctatio rerum excluditur; & sæpe objectionibus latens veritas approbatur: quod enim obscurum aut dubium est, conferendo cito perspicitur; Inquit S. Isidorus lib. 3. de Summo Bono c. 14. Propter quod reliqui audientes narrari talia à quopiam, quorum ipsi jam habent notitiam, confirmationem potius perfectæ scientiæ ex eorum repetitione, quam ullum ex frequentia capiant collatione fastidium; uti monet Cassianus collat. 14. c. 13. Adcit S. Basiliius*

in constitut. Monast. c. 13. quod etiam tempore ad relaxationem animi concessio spiritualia colloquia instituere debeamus; ut sic quasi ludendo sapientiam & intelligentiam nobis comparemus: postquam enim dixisset, vitandas omnes omnino in sermone facetias esse, & scurrilem dicacitatem, subdit: *Cæterum si usus etiam inciderit aliquando, ut remittenda aliquantulum tristitia causa sermone ad hilaritatem excitemur, danda omnino opera est, ut spirituali lepore referta sit, oratio nostra, & Evangelico sale condita: ut recta, qua interius sit, Sapientia gratum foras odorem aspiret, dulciterq; auditorem & animi relaxatione & intelligentie festiuitate delectet.* Et ibidem c. 12. vult rejici omnes omnino sermones, qui non sunt de virtute, aut de opere aliquo instante & urgente, aut aliter ad proximi ædificationem non pertinent. *Verborum, ait, ea opinor, utilitas fuerit, si aut de virtute disseratur; aut si ad rei alicujus, qua facienda instet urgeatq; usum sermo accommodetur; aut etiam deniq; ad audientium ædificationem referatur.* Qui autem in alio quovis genere sermones versantur, ij rejici tanquam supervacanei, ac inutiles debent.

*Secundus effectus spiritualium colloquiorum est, quod voluntatem audientium & colloquentium moveant & promoveant ad pios affectus excitandos, & ad salutaria majoris perfectionis proposita concipienda, ipsamq; ad Dei amorem accendant & inflamment.* *Lapis sæpe ad lapidem concussus, scintillas exilire facit; tamen si*

*nihil*

nihil frigidius lapide, nihil igne calidius attamen  
 concussio victa natura ignem elicit. Quod cum  
 in lapillis contingit; multo magis idem fit & in  
 animabus, quae per colloquia spiritualia tanquam  
 per reciprocos ictus mutuam atteruntur, & ig-  
 ne spiritus concalescunt, inquit S. Chryosto-  
 mus homil. 6. advers. Anom. & exemplo suo  
 confirmat S. Augustinus lib. 1. confess. c. 10. di-  
 cens. colloquebamur soli (ipse videlicet & ma-  
 ter) valde dulciter, & praeiorum obliti, qua-  
 rebamus inter nos, qualis futura esset vita aet-  
 na Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec au-  
 ris audivit, nec in cor hominis ascendit. Cumq[ue]  
 ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium  
 sensuum delectatio quantalibet praeter illius vita ju-  
 cunditate non comparatione, sed nec commemora-  
 tione quidem digna videretur; erigentes nos ar-  
 dentiori affectu in id ipsum, perambulavimus gra-  
 datim cuncta corporalia & ipsum caelum; & ad-  
 huc ascendebamus cogitando & loquendo. Te  
 (Deus) & miranda opera tua &c. Domine, tu  
 scis, quod illo die, cum talia loqueremur, mundus  
 iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus de-  
 lectationibus suis.

240. Porro notanda est hic distinctio inter  
 conferentias seu collationes spirituales, & col-  
 loquia privata. Nam collationes seu conferen-  
 tia dicuntur, quando certis ac praefixis tempo-  
 ribus & locis plures conveniunt ex condic-  
 to, & de suo rerum spiritualium penu seu promp-  
 tuario conferunt in commune sermones de ob-  
 jecto per colloquii praesidem determinato. v. g.  
 de Na-

de Naturâ, actibus, & praxi alicujus virtutis &c. Undè juxta Joannem Crombetium *lib. 6. de studio perfect. c. 17.* requiritur ad conferentias seu collationes spirituales utiliter instituendas, ut Magister aliquis & director præsit, qui auctoritate cæteris collocutoribus, major & rerum spiritualium usu exercitior, materiam designet, interrogationes formet, tempus & moram respondendi ad illas cuilibet tribuat, totumq; negotium ita prudenter & dextrè moderetur, nè in lites & frivolas contentiones seu verborum pugnas desinat; adeoque munus & officium Directoris est *primò*, ut omnibus in unum aliquem certum ac præfixum locum convenientibus, ipse quæstionè proponat discutiendam; v. g. quibus potissimum armis hæc illata tentatio vincatur? quâ ratione charitas possit inter domesticos conservari? quibus stimulis & motivis fervor spiritus possit continuari? &c. *Secundò* ut interroget singulatim, non omnes, sed peritiores, quid hac de re legerint, vel ab aliis audierint, vel ipsi judicent & sentiant; respondentem verò quemlibet, si opus fuerit, adjuvet, suggerendo quæ alter nescit; vel in meliorem sensum interpretando, quæ minus peritè enuncia- vit; vel reducendo ad scopum, si ab eo defle- ctat; vel asserendo lucem obscurioribus dictis; vel rectè prolata roborando rationibus novis, exemplis idoneis, Sacræ Scripturæ testimoniis, Sanctorum Patrum sententiis &c. *Tertiò*, ut omnium sententias colligens & expendens, se- ligat ac definiat, quid sentiendum & tenendum sit; addatq; brevem aliquam adhortationem ad

ad ea alacriter & exactè præstanda, quæ sic discussa & definita fuerunt. Formulam & specimen hujusmodi spiritualis conferentiæ seu collationis exhibet Abbas Moyſes apud Cassianum *collat. 2.* ubi refert, quod seniores propter studium perfectionis convenerint ad S. Antonium Magnum. Cùm autem proposita fuisset quæstio, quænam virtus possit Monachum à Diaboli deceptione illæsum custodire, & varii varias virtutum species attulissent, ipse B. Antonius tandem omnium sententias colligens, & collaudans, propositam quæstionem postremò sententiâ suâ definivit, dicendo, quod omnes virtutes æ ipsi allatæ sint quidem utiles & necessariæ propter rationes à singulis adductas; nihilominus principatum obtineat sola virtus discretionis.

241. *Colloquia spiritualia privata* dicuntur, quando in familiari discursu aliquorum, sive in sive extra horam recreationis, domi vel in itinere sermo habetur de rebus spiritualibus, qui colloquentes, & audientes ædificare sit idoneus. Quomodò Apostolus monet facere Ephesios, c. 4. dicens. *Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus; ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Omnis autem sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Quæ verba exponens S. Hieronymus, ait, nobis ab Apostolo commendari sermonem, qui docet virtutes sequendas, vitia fugienda. Et S. Chrysostomus *homil. 14. in ciuit. Epist.*

one

Epist. docet, præscribi nobis *sermonem*, qui moneat, instruat, doceat, differatq; de compunctione, de pietate, de eleemosynâ, & rebus harum similibus. Scribit autem Apostolus eam admonitionem ad omnes Fideles Ephesi habitantes, siuè laici si sint siuè Clerici; ut facilè detur intelligi, qualia colloquia habere debeant Religiosi, tum inter se, tum inter sæculares. In Dei seruo omnia debent bona videri; nec ex aliquâ parte puritas ejus debet maculari. Quid enim prodest mundam habere vitam & os sordidum; cum dicat Dominus, quod unusquisq; verbis suis aut justificabitur, aut condemnabitur. Nec credibile potest videri, benè vivere eum, qui malè loquitur; cum ex abundantia cordis os loquatur; & bonus homo de bono thesauro proferat bona. Inquit S. Ambrosius in c. 4. ad Ephesios. Hoc nempe loquuntur quiq;, quod diligunt; & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus volunt; ut ait D. Prosper lib. 3. de vitâ contemplat. c. 6. Unde videmus agricultores, cum in unum coadunantur, repente & sine tadio de iis, quæ agricultura sunt, sermocinari; artifices Mechanicos de suis artificiis, Mercatores de suis mercimoniis; uti observat Laurentius Justinianus lib. de disciplinâ & perfect. mon. c. 15. Et juxta Poëtam.

*Nauta de ventis, de tauris narrat arator,  
Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

Si ergò homo Religiosus diligat Deum, perfectionem, virtutes, profectum, orationem,

mo-

modestiam, & similia, quæ professioni ipsius congruunt; procul dubio de talibus frequenter ac quasi semper sermonem instituet: *Ex abundantia enim cordis os loquitur. Matth. 12.*

242. Ne verò Tyronibus & Novitiis desit materia formandi discursus spirituales, eam suggerit B. Laurentius Justinianus supra, dicens: *Studeant Christi servi, cum in unum congregantur, & invicem reperiuntur, semper de rebus necessariis, vel de animæ profectibus habere sermonem. Maximam namq[ue] & indeficientem loquendi materiam invenient, si de miseria presentis vitæ, de periculis hujus peregrinationis, de variis tentationum generibus, de Diaboli fraudibus, de vitiorum deformitate, de virtutum ornamentis & meritis, de mortis inevitabili necessitate, de pœnis inferni, de regno Dei, & præmio paradisi conferant; frequentius verò de Dei ineffabili charitate humano generi per Christum & in Christo exhibitâ sermonem instituunt. Et S. Chrysostomus homil. in Calend. habitâ: Cum aliis sedens, non de rebus externis disseras, neq[ue] de his, quæ nobis perparam, aut planè nihil conducunt; sed de Religione nostrâ, de gehenna, de Regno cælorum: Non autem de rebus inanibus & supervacaneis, cujus generis hæc sunt: quis magistratum gerit? quis Magistratu abiit? quâ de causâ hic mulctatus sit? Unde ille tantum lucratus sit & locupletissimus evaserit? quid ille reliquerit moriens? ac multa his similia. Item S. Bernhardus in formulâ S. vitæ: Cum loqueris, verba tua sint rura, vera, ponderosa, ac de*

kk Deo.

Deo. Si secularis loquitur tecum, ac vana proponit; quam citissime potes, succide sermonem, & transfer te ad ea, quae Dei sunt: Nam qui de terrâ est, non mirum, si de terrâ loquatur. Sed si quis profiteretur se esse caelestem; loqui debet de Cælo, & circumcidere verba terrena. Atq; hinc proderit, imò in Tyronibus necessarium erit, ut antecederet per lectionem pii alicujus libri se præparent ad spirituale colloquium, quae quidem præparatio commodè ab ipsis fieri potest vel immediatè ante mensam; vel sub ipsa lectione mensali, captando occasionem ex materiâ obviâ conditioni & capacitati eorum accommodatâ; sic enim adimplebunt illud Regulæ S. Augustini: *Quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audire; nec sola vobis sauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.* Ipsi quoque suum Legislatorem imitabuntur, qui etiam in solenni die natalis sui, quo aliqui solemus erga nos liberaliores esse in cibo & potu sumendo, peracto prandio cum suis ad disputandum sedit; ut ipse testatur *lib. de beatâ vitâ.* Quod si unus aliquis quæstionem proposuerit, & quibus potuit argumentis prosecutus fuerit; cæterorum erit, ex suâ quoque penâ memoriæ depromere, quæ circa materiam propositam aliquando vel ipsi legerunt in Bibliis, Conciliis, Patribus, Historicis aut Asceticis Scriptoribus; vel ab aliis fide dignis viris audierunt. Varietas enim colloquentium reddit conversationem valdè jucundam, & salutarem etiam auditoribus; unde

de singulis permittenda est libera facultas & spatium proferendi, quod ad materiae prosecutionem servit: nec alicujus sermo interpolari aut abrumpi debet; nisi talis esset, qui spiritua- lem discursum impediret.

S. 23.

De medio duodecimo ad operandum ex cha- ritate Dei, quod est meditatio seu oratio mentalis.

243. QUAM necessaria nobis in hac vita con- ditutis sit meditatio rerum Divinaru ad illuminationem intellectus, & ad motionem voluntatis nostrae erga Deum, quamq; utilita- tem & fructum nobis ea praestet, satis declarat Regius Propheta Psalm. 1. dicens: In lege ejus meditabitur die ac nocte; Et erit tanquam lig- num, quod plantatum est secus decursus aqua- rum, quod fructum suum dabit in tempore suo &c. Item Psalm. 38. In meditatione sua exar- descet ignis, non alius nisi divini amoris. Et Ps. 118. Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea. Meditatio, teste B. Laurentio Justiniano de Cast. con. c. 22. Cor, amovet ab exterioribus, Et ad se redire com- pellit. Hac est disciplina mentis, spiritualis pa- dagogus, orationis funiculus, incipientium eru- ditio, Et intentionis mentis provida gubernatrix, disponit ad contemplationem, animae munditiam operatur, ministrat devotionem, in corde spiri- tualem

Kk 2

one

tualem laetitiam ebullire facit, atq; sapientia pa-  
 rat domicilium. Ex ipsius assiduitate stabilitur  
 mens, cogitationes purgantur, solitudo sapit, de-  
 lectat Deus, ingenium acuitur, castificatur sen-  
 sus, illustratur ratio, loquela restringitur, & a-  
 nimus ad alta suspenditur. Meditatio seu con-  
 sideratio juxta S. Bernardum lib. 1. de considerat.  
 c. 7. Mentem, de qua oritur, purificat, regit affe-  
 ctus, dirigit actus, corrigit excessus, componit  
 mores, vitam honestat & ordinat, agenda pra-  
 ordinat, acta recogitat; ut nihil in mente reside-  
 at incorrectum, aut correctione egens. Sine  
 meditatione lectio spiritualium communiter in-  
 utilis est & sine fructu efficitur, saltem in or-  
 dine ad motionem voluntatis; nam lectio appo-  
 nit ori cibum solidum; meditatio autem frangit  
 & aperit; ut ait idem Bernardus serm. 68. in  
 Cantico. Quia sedula meditatio non remanet ex-  
 tra, non haeret in superficie, ut lectio; sed ulte-  
 rius pedem figit, interiora penetrat, singula ri-  
 matur, & masticando ac rimando succum elicit,  
 & transglutiendo usq; ad cordis intima transmit-  
 tit, juxta eundem Doctorem in Scal. Claustr. c. 3.  
 Unde cum Deus populo dedisset praecipuum de  
 dilectione Deut. 6. statim subjunxit: Erunt ver-  
 ba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde  
 tuo; & meditaberis in eis sedens in domo tua,  
 & ambulans in itinere, dormiens, atq; consur-  
 gens. Et Paulus 1. Timoth. 4. Postquam pra-  
 misisset: Attende lectioni & c. subdit. Haec medi-  
 tare, in his esto. Omnis siquidem fructus ex le-  
 ctione & meditatione procedit, teste S. Hieronimo  
 lib

lib. 3. a  
 lectione  
 & ad  
 dit, qu  
 cunqu  
 in mag  
 datu  
 tioner  
 conver  
 3. de  
 bunda  
 spiritu  
 mus;  
 res, v  
 na, q  
 haben  
 nem  
 quasi  
 consta  
 juxta  
 Sanct  
 seu m  
 tam sp  
 est ip  
 ministr  
 deduc  
 do rec  
 exper  
 strae f  
 langu  
 quant

lib. 3. de summo Bono c. 8. *Qua enim nescimus, lectione discimus, meditationibus conservamus, & ad eorum executionem permovemur.* Accedit, quod devotio & fervor mentis, quomodo-  
 cunque intensus, paulatim intepescat etiam in magnis Dei servis, nisi identidem reaccendatur & conservetur per frequentem meditationem, *Tepefcimus processu temporis à fervore conversationis nostræ;* Inquit S. Bernardus *serm. 3. de Annunt. Paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consummemur carne, quæ spiritu cæperamus, timorem Domini relinquit;* *verbosi, curiosi, faceti, etiam detractores, vacantes nugis, fugitantes labores discipline, quoties sine notâ id licet.* Undè necesse habemus quotidianæ meditationis flabro ignem devotionis deficientem, resuscitare ac quasi de novo reanimare; resuscitatum autem constanter in suo fervore conservare. Imò juxta S. Chrysostomum *lib. de orando Deum.* Sancta oratio non tam vocalis quàm mentalis seu meditatio tam necessaria est animæ ad vitam spiritalem conservandam, quàm necessaria est ipsa anima ad naturalem vitam corpori subministrandam & conservandam; prout fusè deducit Bartholomæus Riccius *Instruct. de modo rectè meditandi. Part. I. c. 1.* Et frequens nos experientia docet, quod pleræq; functiones nostræ spirituales & exercitia per decursum dici languent, ac suâ quasi animâ seu vitâ destituantur, quotiescunq; meditatio Matutina fuit

ONE

aut planè intermissa, aut oscitanter & perfunctoriè peracta.

244. Porro definitur, aut potius describitur meditatio à Richardo de S. Victore *lib. 1. de contemplat. c. 4.* *Meditatio est studiosa intentio mentis circa aliquid investigandum diligenter insistens.* Vel, ut ibidem ait: *Meditatio est proventus animi obtutus, in veritatis inquisitione vehementer occupatus.* S. Bernardus in libro de *Scala Claustrali* ait. *Meditatio est studiosa mentis actio, occulta veritatis notitiam propria rationis ductu investigans.* Clarius eam definit dicendo, quod sit *attenta rerum divinarum consideratio, ad excitandos affectus pios erga Deum, & concipienda proposita vitæ spiritualis accommodata.* Dicitur primo, quod meditatio sit *consideratio*; ut per hoc exprimatür & significetur officium seu munus nostri intellectus sub meditationis decursu; quod officium triplex est: Nam primò debet intellectus elicere actum Fidei supernaturalem circa materiam à memoria propositam; qui actus Fidei sit Basis & fundamentum deinceps omnium actuum supernaturalium ex parte voluntatis eliciendorum. Atq; hinc materia meditationis consistere debet in veritatibus à Deo revelatis; ut possit circa illas assensus Fidei supernaturalis elici. Secundo pertinet ad *intellectum*, ut non solum per simplicem actum Fidei percipiat rei & materiæ propositæ substantiam; sed etiam penetret & expendat omnes eas circumstantias, quæ idoneæ sunt ad voluntatem commovendam & ad

ad efficaces animi affectus gignendos. Quod enim subinde parum aut nihil moveamur ex meditatione de Sanctissimis etiam Fidei nostræ mysteriis, ratio communiter est, quia obiter tantum illa apprehendimus, nec enim circumstantialiter satis expendimus, fitq; non rarò, ut propter hunc defectum omne tempus meditationis frustra & sine omni pio animi motu transigamus, & ad alia impertinentia objecta abripiamur. Dixi autem; expendendas esse *eas circumstantias, quæ sunt idoneæ ad commovendam voluntatem.* Nam ab aliis circumstantiis, quarum consideratio parum aut nihil facit ad motus & affectus pios voluntatis excitandos, abstrahendus est intellectus & omni modo avertendus; cujusmodi sunt v. g. Si quis in mysterio Dominicæ passionis expendere, cujus speciei fuerit arbor illa, ex qua crux fuit fabricata; aut quot cubitis longa, vel quot palmis lata fuerit. Item si in meditatione de Morte Christi incideret in eam speculationem, num in Corpore Christi extiterit forma cadaverica, an verò habuerit formas partiales? Tertiò debet intellectus ex Actibus Fidei præmissis deducere conclusiones & illationes practicas, quibus determinet & statuatur, quid deinceps faciendum vel omittendum, amandum & desiderandum, vel timendum & fugiendum sit; item quibus viis & mediis utendum ad virtutis propositæ consecutionem, aut ad vitii extirpationem &c. In his enim conclusionibus ex lumine Fidei deductis consistit vera scientia, Sapientia

entia & prudentia Sanctorum. Dicitur Secundo in definitione: *Ad excitandos affectus pro erga Deum accommodata*; ut ostendatur munus & officium voluntatis in meditatione; quod potissimum duplex est; Nam primo debet voluntas ex veritatibus Fidei per intellectum propositis & deductis elicere bonos affectus, & diversarum virtutum actus, qui ferè duobus hincce versibus comprehenduntur:

*Crede Deo, spera, time, ama, mirator, & esto*

*Gratus, gaudeto, geme, luge, imitator bonestum.*

Alterum voluntatis officium est, ut concipiat & efformet proposita, conclusionibus practicis per intellectum ex Fide deductis consentanea; statuendo scilicet & proponendo; qualiter per decursum præsentis diei velimus hoc illudvè in nobis prædominans vitium, imperfectionem, aut defectum evitare; in tali vel tali occasione nos irreprehensibilis exhibere, hunc illumvè charitatis Fraternalis aut Humilitatis actum exercere &c. Quæ quidem proposita ut sint efficacia, & suum effectum consequantur, tres potissimum conditiones habere debent. *Prima* est, ut sine particularizata & circumstantiata, puta, de tali virtute particulari in tali certâ occasione, & loco exereenda per talem certam & specialem actum circa hanc illamvè personam &c. *Experientiâ* enim con-

stat,  
sint  
vel  
part  
dicio  
grua  
aut  
firm  
exer  
quo  
alio  
exp  
gan  
eò  
aut  
pos  
rum  
don  
con  
val  
cur  
gru  
sipa  
illa  
&  
rea  
va  
mò  
pun  
com  
præ  
do e

stat, quod resolutiones solum generales parum  
 sint utiles, & animum non satis præmuniant  
 vel obfirment contra difficultates postea in  
 particulari exercitio occurrentes. *Secunda* con-  
 dicio est, ut propositis adjungantur media con-  
 grua & practica per intellectum tunc excogitata,  
 aut ex penu memoriæ deprompta; per quæ in-  
 firmitas naturæ nostræ juvetur & sublevetur in  
 exercitio virtutis propositæ: videmus enim,  
 quod passim Doctores Ascetici, dum virtutis  
 alicujus naturam, utilitatem & necessitatem  
 explicant, media quoque convenientia subjun-  
 gant ad faciliorem ejus praxin & exercitium;  
 eo quod persuasum habeant, nos difficillimè  
 aut nullatenus ad illius virtutis perfectionem  
 posse ascendere sine adjumento talium medio-  
 rum; quod idem de extirpatione vitiorum, e-  
 domatione passionum, dicendum est. *Tertia*  
 condicio est, ut voluntatis proposita sint etiam  
 valde ardentia, intensa, fortia, & talia, quæ oc-  
 currentibus difficultatibus non cedant, nec in-  
 gruentibus tentationum ventis tam facilè dis-  
 sipari & exsufflari possint. Cujusmodi fuerunt  
 illa proposita Davidis Regis *Psalm 118. Juravi,*  
*& statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Præte-  
 rea etiam memoriæ seu potentæ rememorati-  
 væ cooperatio in meditatione requiritur; *pri-*  
*mò* quidem, ut non solum omnia meditationis  
 puncta pridè ante somnum disposita, & ipsi  
 commissa fideliter ac ordinatè intellectui re-  
 præsentet; verum etiam quæ à nobis aliquan-  
 do ex piorum librorum lectione, concionibus

K k §

aug

one

aut colloquiis spiritualibus hausta sunt, & ad præsentem materiam faciunt, denuò promat, & intellectui suggerat. *Secundò* ut pia proposita in meditationis decursu concepta firmiter retineat, vivaciter conservet, & opportuno tempore reexhibeat. In quem finem S. Franciscus Salesius *part. 2. philoth. c. 7.* Suadet, ut præcipuos affectus & proposita circa meditationis finem contrahamus in nervosam & brevem aliquam sententiam ex S. Scriptura, SS. Patribus, vel alio spirituali libro petitam; ad consulendum videlicet infirmitati memoriæ; quæ multitudine & varietate retinendorum facile obruitur. Quam sententiam idem author nominat *fasciculum devotionis*; alii verò *tesseram* vocant.

245. Ut verò intellectus, voluntas & memoria possint convenienter & fructuosè munia sua in meditatione exercere, necessaria est antecedenter duplex ad eam *preparatio* sive *dispositio*. Prima dicitur *remota*; & consistit in tribus: Nam imprimis debet pridie ante somnum designari certa aliqua materia, & quidem solida, indubitata, & ex Fidei Catholicæ articulis deprompta, juxta interpretationem & sensum Ecclesiæ, aut juxta unanimem SS. Patrum explicationem. Qui enim apocrypha & incerta Fidei dogmata, aut conceptus ex proprio vel alieno cerebro confictos, vel malè fundatas in humani ingenii subtilitate interpretationes S. Scripturæ sibi pro materia meditationis assumunt; tales plerumq; jejunâ & vacuâ mente

te re  
Regi  
slicus  
præce  
assidi  
pot  
Evan  
sector  
tilis  
moda  
te; it  
um c  
& pr  
pue i  
quit  
perfec  
tium  
Reden  
telliga  
pati co  
ant, &  
his ut  
bendu  
sunt;  
lumin  
cor ad  
verò n  
minica  
rentiu  
dicens  
tabern  
nis Ch

te recedunt. Unde *Psalm.* 118. ait. *Propheta*  
*Regius: Lex tua meditatio mea est.* Et *Ecclesia-*  
*sticus.* c. 16. monet: *cogitatum tuum habe in*  
*preceptis Dei; & in mandatis illius meditandis*  
*assiduus esto.* Neq; melior & utilior præscribi  
 potest pro materiâ meditationis quam codex  
 Evangeliorum respectu proficientium, aut per-  
 fectorum. Hic enim materiam continet fer-  
 tilissimam, omnium hominum statui accom-  
 modatam, & mysteriorum pluralitate varia-  
 te; ita distinctam, ut omnis molestia & tædi-  
 um caveatur. *Quicumq; esse Dei fidelis servus*  
*& prudens desiderat, salvatoris gesta, & præci-*  
*pue ipsius passionem ruminare non negligat:* in-  
 quit S. Laurentius Justinianus *de disciplin.* &  
*perfect. monast. con. c. 3. & c. 18. Nulli famulan-*  
*tium Christo fas est, has postponere meditationes*  
*Redemptoris; ut ex ipsarum consideratione in-*  
*telligant humano generi charitatem exhibitam,*  
*pati concupiscant, compati discant, amare stude-*  
*ant, & Deo gratias agere nunquam desinant. In*  
*his utiq; meditationibus assidue ardentemq; incum-*  
*bendum est, & singula diligenter pertractanda*  
*sunt; nisi fortè ex supervenienti novo gratia*  
*lumine, aut ex abundantiori charitatis affectu,*  
*cor ad alia meditanda raperetur. Amplissimam*  
*verò meditandi materiam subministrat ipsa Do-*  
*minicæ passionis Historia; sicut idem B. Lau-*  
*rentius Justinianus de Cast. con. c. 23. testatur*  
*dicens: Nulla salubrior ad mentis construendum*  
*tabernaculum cogitatio reperitur, quam Passio-*  
*nis Christi: per ipsam quippe humana salutis re-*  
*stau-*

one

stauratio, & ineffabilis Dei ad homines agnosci-  
tur summa dilectio. Nemo aliundè divina cha-  
ritatis aeternum fontem degustat melius, quàm in  
hujusmodi attentâ sedulâq; meditatione. In ip-  
sa devotus inquisitor ingressus meditando, di-  
stinctè seriatimq; consideret diligenter, quis, qua-  
lis, ubi, qualiter patiatur, & quare patiatur: i-  
sta nempe sunt, per quæ meditantis animus in-  
flammat ad amorem, ad imitationem provo-  
catur. Et infra Passio quia flagrantissimâ fuit  
exhibita charitate, vehementem in meditantis  
corde accendit affectum, atq; locupletem reddit  
fructum amoris & sapientia, compassionis & de-  
votionis: Amorem quidem & sapientiam spiri-  
tualibus & perfectis; incipientibus verò & in-  
expertis compassionem ingerit & devotionem.

Secundò debet materia designata dividi in  
duo vel tria puncta, ad confusionem evitan-  
dam; ita quidem, ut in primo puncto commu-  
niter ponatur definitio vel descriptio, & potio-  
res actus; si de virtute aut vitio instituenda  
sit meditatio. In secundo autem collocentur  
motiva, seu rationes & causæ, ob quas virtus  
talis exerceri, aut vitium extirpari debeat;  
servatâ eâ motivorum subordinatione, ut pri-  
mum locum teneat honestas, secundum utili-  
tas, & tertium necessitas: quæ enim majorem  
habent vim ad promovendum, ea ordinariè po-  
stremò sunt pertractanda. In tertio puncto  
afferantur media practica & congrua ad virtu-  
tem acquirendam, vel ad vitium eradican-  
dum. Quod si de aliquo Fidei mysterio instituenda sit  
medi-

meditatio, v. g. de Nativitate, prædicatione, morte Christi &c. partitio materiæ sive historiæ sacræ talis fieri debet, ut quodlibet punctum sit aptum ad conclusiones practicas deducendas, & pios voluntatis affectus eliciendos.

Tertiò debet in electione & determinatione materiæ semper spectari & intendi *finis* aliquis certus, ipsi meditati necessarius, vel utilis ad profectum spiritualement, cujusmodi est v. g. extirpatio alicujus vitii, acquisitio vel exercitium alicujus virtutis, passionis certæ edomatio, perfecta operum ordinariorum executio, debita & exacta functionis vel officii injuncti administratio, voluntatis ad Deum amandum incitatio & inflammatio &c. Nisi enim certus semper finis & scopus intendatur, & ad eum obtinendum meditationis materia, hujusq; dispositio ut medium proportionatum eligatur, plerumq; tempus frustra consumimus; sicut & illi, qui librum quendam meditationes continentem percurrunt hac ratione, ut quotidie eam exinde materiam arripiant, quæ ordine sequitur; nihil solliciti, an hæc statui & conditioni, vel indigentia & necessitati eorum spirituali conveniat.

Altera præparatio ad meditationem dicitur *propinqua*; & consistit in duobus: Primum est *Oratio* seu gratiæ & auxilii divini petitio ad bene meditandum, & ad finem meditationi præfixum certius obtinendum. Quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,*  
des.

*descendens à Patre luminum.* Jacob. 1. Et teste  
 S Paulo 2. Corinth. 3. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Unde necesse habemus ad Deum recurrere per orationem, dicendo v.g. Hymnum Ecclesiasticum: *Veni Sancte Spiritus & emitte solitus lucis tuæ radium.* &c. Aut versiculum illum, quem Ecclesia omnibus Horis Canonis præmittit; *Deus in adiutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Aut ejusdem Ecclesiæ Orationem: *Actiones nostras, quasumus Domine, aspirando preveni, adjuvando prosequere.* &c. Alterum sunt præludia, quæ præmittuntur tanquam introductio ad devotam Meditationem; ut omnis sensuum & phantasiæ evagatio, mentisq; distractio præcaveatur. Consistunt autem hæc præludia partim in *re cogitatione presentie Dei*, quâ sine ullâ capitis & imaginationis defatigatione credimus actu simplici Fidei; quod Deus intime nobis sit præseos, & cunctas nostras cogitationes clarissime inspiciat: partim in vivaci *repræsentatione objecti*, & circumstantiarum illius, de quâ instituenda est meditatio; puta, cum quis de morte meditaturus, imaginatur & repræsentat sibi infirmum aliquem, in lectulo mortuali jacentem; à Medico derelictum: quem nec amici circumstantes juvare possunt, atq; ideo angustiatum, huc illucque se vertentem; propter peccata sua præterita pusillanimum &c. Aut cum quis de inferno meditaturus, imaginatur sibi locum capacissimum, ig-

ne,

ne, fumo & foetore undiq; repletum; in quo varia sunt receptacula, & hæc diversis tormentorum generibus referta, & quæ quidem imaginatio seu repræsentatio tunc erit efficacior, si in Sacris Litteris, aut in experienciis fundata fuerit.

245. Verùm præmissâ etiam utrâquæ præparatione, experimur nihilominus frequenter, quod meditatio non succedat, & non habeat eum effectum, quem intenderamus; idque proptet triplicis generis impedimenta; quorum aliqua occurrunt ex parte *intellectus tantum*, alia ex parte voluntatis tantum, alia vero ex parte *intellectus & voluntatis simul*.

Et quidem ex parte *intellectus tantum* duplex se offert impedimentum. Primum & frequentissimum est *distractio animi*, quæ tunc contingit, quando illo tempore, quo cœpimus cogitare de unâ re, mox cogitationem deflectimus ad aliam, & sic priorem vel deserimus, vel saltem imperfectè tantum continuamus; vel certe quando mente cogitamus de unâ, & sensu volumus simul attendere ad aliam, etiam bonam & honestam, sed alienam ab eo negotio, quod tunc tractandum est. Quomodo S. Bernardus *serm. 47. in Cantica* numerat inter distractiones non solum *cogitationes vanas*, sed etiam illas, quæ inter plallendum occurrunt ex lectione librorum in cellâ, aut ex concione audita. Ejus verba sunt: *Pure divinis laudibus interesse debetis; ita ut nihil, dum psallitis, aliud cogitetis. Sed ne illa quidem profecto recipere*  
tunc

one

tunc consulerim, quæ paulo ante in clauſtro ſe-  
dentes in codicibus legeratis; qualia & nunc me  
vivâ voce differente, ex hoc auditorio Spiritus  
Sancti recentia reportatis. Salubria ſunt; ſed  
minimè illa inter pſallendum ſalubriter revolvit-  
tis: Spiritus enim Sanctus illâ horâ gratum non  
recipit, quidquid aliud, quàm debes, neglecto  
eo, quod debes, obtuleris. Sunt autem varix di-  
ſtractionum cauſæ in oratione tam mentali,  
quàm vocali, contra quas pugnare, & illas ſu-  
perare debet, qui totâ mentis recollectione  
vult orationi vacare. Prima eſt ſenſuum exter-  
norum evagatio & licentia; de quâ in Threnis  
c.3. dicitur: *Oculus meus depradatus eſt animam  
meam.* Contra quam præſentiſſimum reme-  
dium eſt, ſi meditatio peragatur in loco ſolita-  
rio, & ab hominum ſtrepitu longius remoto,  
ſacro. v.g. in Eccleſia, vel cella, tempore ma-  
tutino, & ſummo mane; oculis vel clauſis,  
vel in piam imaginem, quæ myſterium & ob-  
jectum meditationis repræſentat, defixis. Alte-  
ra cauſa diſtractionum eſt *phantasia noſtra*;  
quando illi ſe offerunt ſpecies rerum ſenſu ex-  
terno antecedenter perceptarum: aut quando  
iſta fingit res prodigioſas nunquam viſas vel  
auditas, variasque rerum ſpecies contingit; aut  
quando propter ſimilitudinem externorum ac-  
cidentium v.g. cælorum, locorum, temporum,  
&c. quæ in pluribus objectis reperiuntur, dela-  
bitur ex unâ re in aliam iisdem accidentibus af-  
fectam; puta ſi quis meditaretur de Chriſto  
flagellato, purpura induto; & ratione Coloris

rubei

rubei Phantasia delaberetur ad repræsentandum Cardinalem purpurâ amictum: & à Cardinale transiret ad sacellum Papæ, in quo plures purpuratos Patres aliquando conspexit. ac deindè ulterius deveniret ad repræsentationem honoris, inclinationis & reverentiæ, quam iidem Cardinales in sacello Papæ exhibent. &c. His autem Phantasiæ incommodis & malis facile mederi possumus primò, si externos sensus nostros cohibeamus non solum à noxiis, sed etiam à curiosis, vanis, & impertinentibus objectis; atq; horum speciebus omnem aditum ad phantasiam intercludamus. Secundo si tempore illo, quod mediat inter somnum & meditationem, nullas cogitationes de rebus & negotiis prophanis foveamus, sed vel sanctæ orationi incumbamus, vel ex materiâ futuræ & instantis meditationis aliquid ruminemus. *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus preparare debemus;* ait. B. Abbas Isaac apud Cassianum *Collat. 9. c. 2. ex precedente enim statu mens atq; animus in supplicatione formantur.* Undè SS. Patres apud eundem Cassianum *Collat. 1. c. 18.* Cor humanum comparant lapidi molari; qui nunquam quidem quiescit, sed semper molit, verùm in molitoris arbitrio est efficere, ut is vel triticum, vel hordeum, vel avenam molat: quodcumq; enim molitor ei antecederet injecerit, illud molet. Simili modo animus humanus quidem semper aliquid cogitare & agitare debet; at in nostrâ est potestate & arbitrio efficere, ut vel bonum

Ll

vel

vel malum, vel sacrum aut prophanum aliquid  
 verset: quodcumq; enim ei antecederet inges-  
 simus, illud agitabit & volvet. Tertia radix  
 & causa distractionum est *passionum nostrarum  
 immortalis*. Quamvis enim hæ suam sedem  
 habeant non in capite, sed subtus in corde; at-  
 tamen quia summam habent cum phantasia  
 conjunctionem; hinc earum vehementia gra-  
 ves in capite parit distractiones. Tam arcta  
 enim necessitudo intercedit inter appetitum  
 sensitivum & potentias cognoscitivas tam exter-  
 nas quàm internas, ut vix commota sit aliqua  
 passio, quin illicò aliis sentiatur potentiis, quæ  
 operam suam quoq; mox præstant; uti videre  
 est in eo, qui irâ accenditur ob injuriam illatam;  
 statim enim & mirâ agilitate phantasia repræ-  
 sentat gravitatem injuriæ, facilitatem vindi-  
 candi &c. Sicut in Organo, cum Organædus  
 tangit dentes ejus inferius & in parte infimâ  
 positos, mox resonant fistulæ etiam sublimes  
 & in supremâ parte constitutæ; propter com-  
 municationem, quam habent cum venti recep-  
 taculo in medio Organi collocato. Qualiter  
 autem & quibus mediis hi appetitus sensitivi  
 motus & passionis edomari possint, ac debeant,  
 vide supra. Quarta causa sed extrinseca di-  
 stractionum est diabolus, qui supradictis tribus  
 causis intrinsicis egregiè utitur, procurando  
 scilicet, ut objecta ad distraendum idonea in  
 sensus incurrant; aut agendo in phantasia,  
 & commovendo eas rerum species, quibus u-  
 numquemq; novit magis distrahi; aut exci-  
 tando

tando  
 hente  
 lum a  
 osam  
 quas  
 oratio  
 nast.o.  
 circum  
 tus ex  
 luti ig  
 animi  
 pino a  
 semel i  
 difficil  
 dam v  
 jusmo  
 vaso  
 opis im  
 versar  
 cogitat  
 ne sic  
 animu  
 te cony  
 perdur  
 stantia  
 lustret  
 E men  
 ne com  
 tranqu  
 dum su  
 beat a  
 princip

rando appetitum sensitivum ad motus distra-  
hentes, perturbantes & evertentes tranquil-  
lum animæ statum, qui ad devotam & fructu-  
osam meditationem est necessarius. Contra  
quas diaboli machinas plurimum valet devota  
oratio, sicut advertit S. Basilus in *constitut. Mo-  
nast. c. 18.* dicens: *Si quando ex insidiis animam  
circumvenire diabolus tentet, & quas commen-  
tus ex se est, cogitationes magno cum impetu ve-  
luti ignita quædam tela in pacatum ac quietum  
animi statum intorquere contendat, illumq; ino-  
pino assultu conetur incendere, & eorum, quas  
semel intorserit, diuturnas & ad extricandum  
difficiles memorias efficere; sanè hic majore quâ-  
dam vigilantia contentioreq; animadversione hu-  
jusmodi declinanda insidia sunt, & belli omnis e-  
vasio & telorum declinatio orationi ac divina  
opis implorationi committenda. Si verò per ad-  
versarii impudentiam, flagitiosarum istiusmodi  
cogitationum vis vehementior etiam insurgat;  
ne sic quidem est succumbendum, aut dejiciendus  
animus; neq; suscepta certamina ex dimidia par-  
te confecta relinquenda; sed eò usq; obfirmatè  
perdurandum, quoad Deus perspectâ nostrâ con-  
stantiâ, gratiâ Spiritus Sancti affulgeat, nosq; il-  
lustret, quæ & insidiatorem in fugam propellat,  
& mentem nobis puram efficiat, & divino lumi-  
ne compleat, & rationi nostræ in pacatissimâ  
tranquillitate constitutæ otium ad Deum colen-  
dum suppeditet. Imò nè Dæmon accessum ha-  
beat ad distractiones in nobis excitandas, in  
principio Meditationis specialiter id à Deo pe-  
tendum*

tendum est; Sicut ob eandem causam teste S. Thomâ & aliis sancta mater Ecclesia præcepit, ut Divino officio semper præmitteretur versiculus Psalmi 69. *Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.* Deniq; pro universali remedio contra quascunq; distractiones undecunq; tandem provenientes adfert Joannes Climacus grad. 4. § 18. cogitationem seu recordationem & vivacem imaginationem præsentia Dei. *Is enim, qui, cum orat, se Deo assistere intimo cordis sensu existimat & ponderat, ut columna perstabit immobilis.* Unde S. Basilius in *Regul. brev. interrogat. 21.* postquam quæxivisset, cur animus in oratione evagetur, respondet, quod *inanis, quæ solet esse mentis agitatio, nascatur ex inertia ipsius, quando cunq; scilicet in rebus necessariis minimè se occupat.* Iners autem ex eo efficitur mens, quando Deum adesse non credit, qui scrutatur corda & renes. *Si enim hoc crederet, prorsus illud faceret, quod dictum est: providebam Dominum in conspectu meo semper &c.* S. Chrysostomus etiam in illud Psalmi 4. *Miserere mei &c.* tom. 5. suadet; ut ante orationem nobis imaginemur, ingredi nos aulam illam cœlestem, in qua Rex Regum stellato sedet solio, plurimis tum Angelorum tum aliorum Sanctorum choris stipatus; ab nosq; omnibus illis inspicere & considerari, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 4. *Spēctaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Alterum impedimentum in meditatione tenens se ex parte intellectus tantum est sterilitas; quæ nihil est aliud,

aliud, quàm defectus ratiocinationum & discursuum accommodatorum; acciditq; communiter in Novitiis & Tyronibus, qui exiguam adhuc habent rerum spiritualium notitiam. Tollitur verò per frequentem piorum librorum lectionem; uti & per ordinatam materiæ seu punctorum meditationis divisionem & dispositionem; maximè si per aliquod tempus inter meditando adhibeantur libri tales, qui in deducendâ materiâ sunt fusiores, pluraq; ex S. Scripturis, & Patribus &c. adducunt argumenta; quomodo fieri videmus in meditationibus Patris Jacobi Massenii, & aliis.

246. Ex parte *voluntatis tantum* impedit sæpè progressu & fructum meditationis nimia *ariditas* in affectibus eliciendis, & propositis concipiendis; quæ ariditas vocatur ab Ascetis scriptoribus *desolatio*; soletq; contingere aliquando in solo *appetitu sensitivo*; cum scilicet voluntas fertur quidem promptè in Deum per amorem vel alios virtutum actus & affectus; ipse tamen appetitus sensitivus indè nullatenus afficitur, sed veluti stupidus et insensatus persistit; ita ut tunc homo verè possit cum Psalmista dicere: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Psalm. 142. Quamvis autem hæc spiritualis ariditas non sit in se peccatum; nihilominus quia periculum est, nè & ipsa voluntas à suo officio cesset; si desolatio diutius in appetitu sensitivo persistat, hinc petenda est à Deo consolatio spiritualis opposita, dicendo cum Regio Propheta Psalm. 85. *Latetur cor meum,*

ut timeat nomen tuum. *Latifica animam ser-  
vui &c.* Ita tamen, ut simul permaneamus re-  
signati in providentiam & voluntatem Dei, di-  
camusq; hoc in tempore: *Pater mi, si possibile est,  
transfer calicem hunc à me. Sed simul magna  
cum generositate & resignatione addamus: ve-  
runtamen non mea, sed tua voluntas fiat; & qui  
possumus maximâ animi quiete, in hac nos deti-  
neamus;* inquit S. Franciscus Salesius *part. 4.  
Philoth. c. 14.* Plurimum autem roborabitur  
hæc nostra ad Deum petitio, si profundè simul  
nos coram Divinâ Majestate humiliemus, ag-  
noscendo nostram indignitatem ad percipien-  
das consolationes Divinas, & exprobrando no-  
bis ipsis peccata, negligentiasq; quibus talium  
cœlestium favorum subtractionem promeriti  
sumus; ac propterea nos cum Chananæa re-  
putemus longè indignissimos, qui de mensâ Dei  
pascamur delitiis & cupediis filiorum, roge-  
musque promicis de mensâ cadentibus. Quod  
si nihilominus desolatio & ariditas adhuc per-  
maneat; ita ut cœleste illud devotionis donum  
in nobis necdum post preces & humiliationem  
sentiamus; tunc solari nos possumus illâ S. Ber-  
nardi *serm. 3. de Circumcis. Dom.* sententiâ: *Mul-  
ti totâ vitâ ad hoc tendunt, & nunquam tamen  
pertendunt. Quibus tamen, si piè & perseveran-  
ter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, reddi-  
tur, quod in hac vitâ est dispensatoriè negatum.* Ali-  
quando etiam contingit desolatio in voluntate  
quando scilicet appetitus sensitivus tristitiam  
suam derivat in voluntatem, eamq; frangit &  
de-

debili  
affect  
rimè a  
deat  
Quod  
exigu  
tollit a  
spiritu  
vel co  
venia  
fis, ut  
latio s  
tur;  
cram  
tionis  
fiden  
cendi  
247  
tatis  
bolica  
falsæ  
tate,  
lucis  
da vi  
subin  
sub p  
litati  
vis v  
ad du  
quæ  
a nob  
velin

debilitat in tantum, ut actus virtutum & pios affectus vel planè omittat; vel non nisi ægerimè ad illos eliciendos assurgat, & vix non todeat benè agere, vel pium aliquid cogitare. Quod ariditatis malum si oriatur ex parvâ & exiguâ virtutis aut perfectionis æstimatione, tolli ac removeri debet per condignam rerum spiritualium ponderationem ex sacrâ lectione vel consideratione resuscitatam. Si verò proveniat ex peccatis venialibus deliberatè admisis, utpotè, per quæ gratia Dei uberior & consolatio subtrahitur, & animi vis ac robur enervatur; tunc præsentissimum remedium erit Sacramentum Pœnitentiæ, quo divinæ consolationis obstaculum tollitur, fiducia animi & confidentia recuperatur, & fervor devotionis reacenditur.

247. Impedimenta ex parte *intellectus* & *voluntatis simul dicuntur illusiones* & *deceptiones diabolicæ*; quæ nihil aliud sunt, quàm ratiocinationes falsæ in intellectu, & impulsus erronei in voluntate, quos diabolus transfigurans se in Angelum lucis obrudit pro veris & divinis, nosque à solida virtute, Dei dilectione, bono proposito, & subindè à propriâ vocatione laborat, abducere, sub prætextu & specie necessitatis, majoris utilitatis, aut pietatis. Quæ deceptiones quamvis variæ & innumerabiles sint; possunt tamen ad duo genera revocari. *Primum* continet eas, quæ manifestæ sunt & apertæ, possuntq; facile à nobis deprehendi, si mentis oculos aperire velimus; cujusmodi sunt, cum diabolus in no-

bis excitat affectum ad res caducas, ut quæramus v.g. commoditatem in victu, vestitu, strato, cubiculo &c. aut cum in nobis suscitatur timorem vanum adversæ valetudinis, ignominie vel confusionis sustinendæ; aut inducit oblivionem novissimorum, fastidium rerum spiritualium &c.

Alterum genus continet eas diaboli fraudes & deceptiones, quæ ita occultæ, abstrusæ & tectæ sunt, ut non nisi à valdè provido, sagaci & circumsperto animo detegi & deprehendi possint. Cujusmodi sunt v.g. Quod malignus spiritus hominem ex minimis perducit ad majora, & suadendo contemnere levia, pererariat paulatim ac quasi inadvertenter ad gravia; quod animum incauti fatagat vehementiori aut diuturniori rerum spiritualium tractatione defatigare, ac per hoc tædium seu fastidium illarum causare; quod sub boni & virtutis specie pertinaciam propriæ voluntatis & iudicii foveat & corroboret &c. Ad quas diaboli illusiones & infidias detegendas, & à Divinis inspirationibus discernendas, tres Regulæ à S. Francisco Salesio afferuntur *lib. 6. de Amore Dei, c. 11. 12. & 13.* Prima est, quod inspiratio illa debeat esse nobis suspecta, quæ nos inducit ad relinquendum verum bonum, quod præsens tenemus; & ad prosequendum posthac melius, quod nondum tenemus. Solet enim Dæmon illis, quos videt expedito ad suam & aliorum salutem itinere progredi, suadere & suggerere ut aliam viam ingrediantur, sub prætextu majoris perfectionis, & relicto statu suæ Religio-

nis

nis minus austero se conferant ad strictiorem,  
magisque austerum; sicut advertit S. Bernar-  
dus epist. 32. dicens: *Fratrem Hugonem de Las-*  
*sanna ore tuo; & nostro spiritu commonemus,*  
*non omni spiritui credere; ne tam cito movea-*  
*tur, certa pro incertis deserere, sciens, diabolum*  
*soli semper perseverantia insidiari, quam solam*  
*virtutum novit coronari; tutiusq; esse in eâ vo-*  
*catione, quâ vocatus est, simpliciter, perseverare,*  
*quam sub specie melioris boni id quidem, quod*  
*jam cepit, amittere, nec ad id, quod presumit,*  
*fortassis sufficere.* Et S. Chrysostomus homil. 6.  
in Joann. *Tale Diaboli ingenium est, tales insi-*  
*dia, ut eos, qui nobis constituti sunt fines, tran-*  
*sire persuadeat, ac si ad longè meliores essemus*  
*perventuri.* Cum verò hac nos spe allegerit,  
divinâq; gratiâ privaverit; tunc non solam ni-  
hil amplius præstantiusq; largitur; sed nec in  
pristinam conditionem, ubi tantè & securè com-  
morabamur, reditum permittit.

Secunda Regula diabolicas illusiones occul-  
tas discernendi ab inspirationibus divinis, est  
hæc, quod Divinæ inspirationes causent & ad-  
ferant secum pacem, lætitiâ, tranquillitatem  
& suavitatem cordis; spiritus enim Divinus est  
violentus quidem; sed ejus violentia est suavis,  
mitis, & pacifica. E contra Spiritus malignus  
est turbulentus, asper, seditiosus, & tumultuo-  
sus; ejusq; suggestiones adferunt animi terro-  
res, inquietudines, perplexitates, tenebras &  
obscuracionem intellectus, motus inordinatos,  
ac tumultus voluntatis & appetitus sensitive

Ll 5

Unde

Undè videmus eos, qui diaboli suggestiones sequuntur, communiter esse homines inquietos, capitosos, feros, turbuleros, motores turbarum, qui sub prætextu zeli omnia usq; deq; agunt, omnia vituperant, omnes criminantur; ita ut nemo ab eorum dicacitate sit exemptus. Quæcunq; ergo cogitatio reddens hominem inquietum in animo, perplexum, dejectum, pusillanimum, turbulentum, seditiosum &c. habenda est pro suggestionem & illusionem diaboli, quantumvis speciem boni & zeli divini honoris præ se ferat. Cujusmodi teste S. Saleſio in *Philoth. part. 3. c. 37.* sunt immatura illa & vana aliquorum desideria de rebus, quæ vel eorum potestatem excedunt, vel vocationi non conveniunt, vel non nisi post longum temporis spacium fieri possunt; interim autem cor vanissimâ occupatione detinent gravatum, illudq; inquietant, torquent, defatigant, & à præsentibus Exercitiis non tam divertunt, quàm avertunt, cum jaçturâ pretiosi temporis, & spiritualis profectus.

Tertia Regula est, quod illi, qui acceperunt inspirationes divinas, non detrectent obedire hominibus & legitimis suis superioribus: econtrà suggestio diabolica declinet humilem obedientiam; causetq; superbiam intellectus & pertinaciam; ita ut pro certo impostore & mendace habendus sit, qui dicit sibi quippiam inspiratum à Deo; & tamen recusat obedire superioribus, eorumq; monita sequi.

PARS